



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

Brauer, Hermann Brauer, Hermann

Bremen, 1719

urn:nbn:de:gbv:46:1-7459

BREMÆ

Historico-Philologico-

THEOLOGICA.

Classis Secunde

FASCICULUS QUINTUS.



BREMÆ,

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII.

Typis HERMANNI BRAUERI, JUN. MD CC XIX.

V I R O

*Celeberrimo ac Plurimum
Reverendo*

J O H A N N I
H E N R I C O

S C H R A M M I O,

Sacrosanctæ Theologiæ

Doctori atque in alma Nassoviorum Schola Professore

ordinario famigeratissimo

ordinario famigeratissimo

Consiliario insimul Ecclesiastico Nassovio - Dillenburgico

DE REPUBLICA TAM CHRISTIANA QUAM LITERARIA OPTIME MERITO ATQUE INDIES MERENTI.

Unde-

Undecimum hunc hujus

BIBLIOTHECAE
THEOLOGICAE
FASCICULUM,

Ut observantiæ & vene-
rationis suæ erga tam dulce pieta-
ti & bonis literis nomen publi-
cum hoc qualecunque ede-
rent testimonium,

inscribere voluere,

Atque eadem opera laboris hu-
jus in studiorum sanctiorum promotio-
nem unice suscepti patrocini-
um commendare,

Promissumque liberaliter eidem ornamen-
tum ac auxilium accelerare,

*qua par est, submissione,
adnisi sunt*

EDITORES.

Hoc fasciculo exhibentur.

- I. Herm. DEUSINGII Exegesis Psalmi XIX.
p. 773.
- II. F. A. LAMPE spicilegium ad Psalmum
XIX. ejusque præcedentem commentari-
um p. 827.
- III. J. L. MOSHEIMII de vera ætate libelli
ab *Athenagora* pro Christianis conscripti
disquisitio p. 853.
- IV. Disceptatio epistolaris inter Viros Clarif-
simos, *Jac. PERIZONIUM* & *Job. D'OU-*
TREINIUM de loco Act. XIII. 32. *Ανασῆαυε*
Ἰησοῦν. p. 884.
- V. F. A. LAMPE ad Virorum Clariss. de loco
Act. XIII. 32. disceptationem epicrissis
p. 906.
- VI. DOCUMENTA quædam, recentissimam
Ecclesiæ Reformatae in Archipalatinatu af-
flictionem concernentia. p. 916.
- VII. Catalogus librorum novorum recenter
editorum
Anglice p. 933.
Gallice p. 944.
- VIII. Nova quædam Theologico - Historico -
Literaria. p. 949.



I.

HERMANNI DEU-
SINGII,

Jurisconsulti

Exegetis Psalmi XIX.

I.

Hunc Psalmum totum esse propheti-
cum ego omninò persuasum habeo.
Nec satis possum mirari, quod Ma-
gnus Interpres primam illius partem
exposuerit de operibus Dei, deque
hujus per ea *φανερώσει* manifestatione, cum Apo-
stolus Rom. 10, 15. versum hujus Psalmi 5. tam
disertè applicaverit ad prædicationem Evan-
gelii in mundo universo. Quod fieri non po-
tuit nisi statuamus vel hoc, quod Psalter de
tacità cœli voce dixerat, Apostolum per frigi-
dam accommodationem transtulisse ad sono-
ram vocem Evangelii desumptâ ab astris simi-
litudine, q. d. Apostolorum prædicatio sic
mundo fuit declarata, quemadmodum cœli

Class. II. Fasc. V.

D d d

glo-

gloriam Dei prædicant in quavis orbis terræ parte, ut Amama, Grotius, alique volunt: vel, si id vero haud consentaneum videatur, Psaltem exaudiendum esse de cælo & expanso, non propriè dictis sed figuratis.

2. Magis etiam me in admirationem rapit quod Cel. Tillius hypothese illi præjudicata maluerit servire, quàm Apostolum d. c. allegasse hujus verba Psalmi, cum inquit, *Nonnulli existimarunt primam hujus Psalmi partem figurato planè sensu esse accipiendam, eaque describi Evangelium exaltationis Christi, suo tempore exiturum inter gentes. Fundamentum illarum cogitationum in eo situm est, quod Paulus Rom. 10, 15. versum hujus Psalmi 5. allegare & ad argumentum illud adplicare videtur. Ita sonant verba: Sed, inquam ego annon audierunt? imo verò in omnem terram exivit sonus eorum, & ad finem orbis terrarum verba eorum. Fateor equidem verba illa Apostoli prope accedere ad verba Psaltis: nullam tamen video rationem cur ea pro allegatione Psalmi sint habenda. Certè Paulus allegationis non meminit, cum alioqui in citatione propheticarum probationum adjungere consueverit aliquod allegationis indicium. Vide Rom. 10, 5. 11. 16. 19. Apostolus potius provocat ad experientiam & veritatem evidentem, quam exprimit vulgari loquendi modo. Quod si enim Vir ille Doctissimus, inspectâ versione LXX. animadvertisset Apostolum ipsissima horum Interpretum adhibuisse verba, (quæ hæc sunt, *εις πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν**

ὁ φθόγ-

ἰ φθόγγῳ αὐτῶν, καὶ εἰς τὰ πέρας τῆς οἰκουμένης
 τὰ ῥήματα αὐτῶν) non puto eum ulurum fuisse
 exceptione tam frivolâ. Quis enim ausit ne-
 gare allegari à Scriptore dictum alterius, cum
 illud de verbo ad verbum sine ulla mutatione
 recitat, quamvis fortè non exprimat nomen
 auctoris ? Pro certo itaque atque indubitato
 habendum est priorem hujus Psalmi partem
 esse symbolicam, & directè referendam ad præ-
 dicationem evangelii inter gentes, cum hu-
 jus interpretationis auctorem habeamus omni
 exceptione majorem, Apostolum gentium,
 cujus præcipuè ministerio ea Psalmi verba ad-
 impleta sunt. Quod ipse, actus à Spiritu S.,
 ignorare non potuit. Reliquas autem Psalmi
 partes etiam esse propheticas ipsa demonstra-
 bit exegesis.

3. Geminæ sunt hujus Psalmi partes, I. com-
 memoratio prædicationis evangelii regni Dei,
 II. commendatio illius evangelii, adjunctam
 habens precationem. Utraque, ac præsertim
 posterior, successivam, neq; interruptam,
 continet prophetiam.

I. Pars prior habet commemorationem
 tum prædicationis evangelii, tum objecti il-
 lius, Christi regis & regni ejus, quod est
 regnum in omnia.

A. Prædicationem Evangelii regni com-
 memorat Psalter v. 2-5. Ubi est ipsa evangelii
 prædicatio : ejus usus in posterum : defectus

ejus sub Oeconomia Vetere : ejusdemque
amplitudo sub Nova.

✠. Ipsa evangelii prædicatio. V. 2. *Cœli enar-
rant gloriam Dei omnipotentis , & opus manuum
ejus indicat expansum.* Loquitur hic Psaltes cum
de cœlo tum de *expanso*. Quorum illud ad
diem, hoc ad noctem, referendum est, uti
apparet ex v. 3, Per *דָּוָם* cœlos intelligo cœ-
lum Novi Testamenti, cœlo Veteris T. op-
positum. Cœlum Veteris Testamenti erat
hierarchia Deorum dictitiorum, atque ipsi
etiam, qui eam tenebant, Dii dictitii. De
quibus accipiendum videtur illud Psalmi 115,
16. *O cœlum, cœlum est Jehova.* q. d. O Dii di-
ctitii, ipse Jehova jam regnum suum occupa-
vit, regno vestro abolito. Commovendum
enim erat & abolendum cœlum istud : Hebr.
1, 10. 11. 12, 26. ut maneret, quod ei suffi-
ciendum erat, novum cœlum, Jes. 65, 17.
regnum immobile. d. Hebr. 10, 28. Hoc no-
vum cœlum, (quod hic innuitur) significat
regnum Dei, quatenus illud erigi cœpit per
emissum è cœlo Spiritum S., loquentem per
Apostolos, Matt. 10, 20. 1. Thess. 2, 13. (qui
proinde 1. Petr. 1, 12. dicuntur *evangelizasse* per
emissum è cœlo Spiritum S.) ipsosque adeò Apo-
stolos. De quo cœlo loquitur Psaltes Ps. 50,
6. *Indicarunt cœli justitiam ejus.* Ps. 97, 6. *Nun-
tiarunt cœli justitiam ejus, & viderunt omnes popu-
li gloriam ejus, & Ps. 89, 3. Cœli! constabiles ve-
ritatem tuam in eis, vel per eos.* Nec non Je-
saïas

Isaias c. 45, 8. *Stillate cœli supernè ☞ nubes manent justitiâ : aperiatur terra ☞ fructificet salute ☞ justitia germinet pariter.* Conf. *Jes. 49, 13.* Vidit hoc Munsterus, cum scripsit, *Paulus Rom. 10.* hunc versiculum ; in omnem terram exivit - - - citat ἀνευρεθεσ, sicut ☞ *Gal. 4.* dicit per duos filios Abraham significari duo Testamenta. Per cœlos igitur significantur hîc Apostoli, qui per orbem divulgaverunt solem justitiæ, Christum Dominum, haud secus quam cœli solem suo motu in omnem deferunt terram. Quæ postrema verba fortè rectius omisisset.

4. Sed quid de hoc cœlo prædicat Psalter? Cœli, inquit, h. e. Apostoli loquentes per Spiritum S. è cœlo emissum, enarrant, interdum videlicet, gloriam Dei omnipotentis, cum Filium Patris. Per gloriam illam Dei omnipotentis, כבוד אל, intelligendum est opus redemptionis, per mortem & resurrectionem, seu per justitiam & vitam, Christi peractum. E quo opere in primis eluxit illa præstantia, illud βαρεσ pondus, gloriæ, veritatis Filii, cedentis ad gloriam patris promissionis, dū omnes promissiones Dei Patris in Christo factæ sunt, & fiunt, etiam ☞ amen, ad gloriam Patris 2. Cor. 1, 20. ceu Dei veracis, Joh. 3, 33. & mentiri nescii in suis promissis Tit. 1, 2. Quæ gloria Filii & Patris una est eademque gloria : vid. Luc. 9, 26. & Joh. 11, 4. quemadmodum uterque se Deum omnipotentem ostendit uno eodemque opere, dum Pater Filium vi suâ vivificâ

vificâ suscitavit è mortuis, I. Cor. 6, 14. 2. Cor. 13, 4. atque ipse vi vitæ suæ indissolubilis suæque virtute justitiæ è mortuis resurrexit. Rom. 14, 9. coll. Hebr. 7: 16. Et quoniam hic respicitur ad lucem Diei, seu lucem solis, gloria hæc, cum illâ luce tacitè comparata, significat opus illud redemptionis, quatenus illud, unâ cum resurrectione Christi, (quæ non obscure cum ortu solis comparatur Marc 16, 2.) exortum atque revelatum est, ceu vera lux, omnem illuminans hominem. Vid. Act. 26, 23. 2. Tim. 1, 10. Tit. 2, 11. Quod factum est cum Apostoli gloriam illam Dei omnipotentis, Filii & Patris, enarrarunt, & omnes radiorum ejus quasi numeros enumerarunt per prædicationem evangelii: Unde evangelium audit *evangelium gloriæ Christi, qui est imago Dei*, 2. Cor. 4, 4. & v. 6. *evangelium gloriæ Dei in facie Jesu Christi* h. e. gloriæ Dei Patris, è veritate, quæ est in Jesu Christo, effulgentis. Hebr. 1, 3. coll. Joh. 13, 31. *Nunc glorificatus est Filius hominis, & Deus glorificatus est in eo.* De quâ enarratione gloriæ Dei idem Psalter loquitur 1. Chron. 16, 24. dicens, *Narrate gloriam Jehovæ in gentibus.* Confer d. Ps. 97, 6. & d. Ps. 89, 3. ubi de annunciatione ejusdem gloriæ ex justitia Dei & Christi elucescentis, deque *confirmatione veritatis*, per eam præstitæ, *in cælis* h. e. per Apostolos, sermo est.

5. Per *הרקיץ* *expansum* (sic dictum à *רקע* *maile* *pulsu in longum & latum extendere*) intelligo idem regnum Dei, quatenus illud per eosdem

dem Apostolos productum est in longum & latum ac propagatum inter gentes, non sine multa verbi Dei, veluti mallei Jer. 23, 29. pulsatione, in multarum afflictionum, evangelium comitantium, 2. Tim. 1, 8. incude, & quidem durante adhuc umbrarum Judaicarum & idololatriæ gentilium nocte, quoad fugerent illæ tenebræ. Cant. 2, 17. 4, 6. Quâ nocte expansum illud *indicavit opus manuum Dei* omnipotentis. Per *opus manuum Dei* significantur sæpe numero electi ex Judæis & gentibus, verum Abrahami semen Jes. 29, 22. Sic ait *Jehova de domo Jacobi, qui redemit Abrahamum, non jam erubescet Jacob, neque jam facies ejus expallescet. Nam cum videbit natos suos, opus manuum mearum, in medio sui, sanctificantes nomen meum, tunc sanctificabunt sanctum Jacobi.* - - - Confer Jes. 29, 25. 45, 11. 60, 21. 64, 8. nec non Ps. 138, 8. 145, 9. Quod semen Abrahami cum stellis innumerabilibus, noctu in expanso lucentibus, comparatur Gen. 15, 5. Heb. 11, 12. Ad hoc *opus manuum Dei, ad hoc semen Abrahami, ad hos electos ex Judæis & gentibus, nunc in regno cœlorum inter gentes expanso, ea dominantis idololatriæ & persecutionum ingruentium nocte stellarum instar fulgentes, heic quoq; ut opinor, respicitur.* Illud autem opus eo tempore *indicabat* expansum, h. e. notum faciebat, commonstrabat, Job. 21, 3. sola sui existentia. Quoniam in regno Dei, jam inter gentes erecto, conspicuum erat quam *supereminens* esset illa *magnitudo potentia*, quam Deus

omnipotens exseruerat in credentibus. Eph. 1, 19. qui, *secundum efficaciam roboris virium* ipsius regenti, d. v. 19. ut faces in mundo illo idololatrato, Phil. 2, 15. & ut stellæ in nocte illa opacâ, Ps. 8, 4. splendebant, lucemque suam spargebant inter homines, ut illi videntes bona ipsorum opera Patrem cœlestem glorificarent: Matt. 5, 16. 1. Petr. 2, 12.

6. ב. Hujus prædicationis usus in posterum. V. 3. *Dies diei scaturiens effundit dictum & nox nocti indicat scientiam.* Indicatur hic primi illius diei sermonem ac doctrinam & primæ noctis illius patientiam & bona opera disciplinæ fuisse futuris istiusmodi diebus & noctibus, quippe tum ad normam fidei necessaria tum ad exemplum vitæ conducibilia. Loquitur enim hic Psaltes de *die & nocte*, respiciens ad cœlum, quod interdiu & expansum, quod noctu, lucet, atque intelligens tum diem prædicationis evangelii inter Judæos, tranquillitate pacis latabilem Act. 9, 31. tum noctem propagationis ejusdem inter gentes, persecutionum horrore tremendam. Affirmat autem diem illum *diei eructare sermonem*, & noctem illam *nocti indicare scientiam*, distinguens diem à die, noctem à nocte.

7. Sanè primus ille dies *eructabat*, scaturiebat, fontis ritu abundanter effundebat, (hoc enim notat verbum אָרַר (נָבַע) sermonem, dictum, promissum, Ps. 77, 9. Num 23, 19. *patefaciendo mysterium à temporibus seculorum tacitum*, Rom.

Rom. 16, 25. *occultum in mysterio*, 1. Cor. 2, 2. *aliis etatibus non relictum filiis hominum*, Eph. 3, 4. *ad instar aquæ, quæ ex occultis terræ visceribus scaturit, Deo quippe dante אָמַר sermonem*, Pf. 68, 12. *h. e. & promissum suum adimplente, & complementi annuntiationem Apostolis, eorumve successoribus, injungente, ita ut incumberet eis evangelizandi necessitas.*

1. Cor. 9, 16. *Et prima nox illa indicabat scientiam (יְחוּה-דַעַת) hanc videlicet, quâ prudentiâ, accuratione, honestate, versandum esset in nocte errorum & afflictionum inter homines Dei nescios & veritati adversos*, Eph. 5, 15.

1. Petr. 2, 12. *quâque charitate, constantiâ, perseverantiâ certandum esset ad sanguinem usque pro veritate Dei, ut Deus glorificaretur & lucrifерent increduli*, Hebr. 12, 4. 1. Petr. 3, 16. 4, 14. *Quam scientiam Jacobus sapientiam vocat. Jacob. 1, 5. Verum hæc eo ordinata & comparata erant, ut inservirent usui & bono diei & noctis alterius. Nam primus ille dies, in usum & commodum sequentis diei, effundebat tanquam ex scatebra, sermonem. Quandoquidem ad normam & cynosuram fidei sanctis semel traditæ, h. e. doctrinæ fidei primo illo tempore traditæ ab Apostolis exigenda erat fides sequentium temporum, quibus iterum prædicandum erat verbum Dei, veluti tempore Constantini M. ac deinceps, & præsertim tempore reformationis. Ad quod tempus, excepturum seductionem Antichristi, re-*

Spiciens Johannes 1. Ep. 2, 27. dicit, *unctio, quam vos Reformati ab eo accepistis, doctrina veritatis à Spiritu S. profecta, manet in vobis, nec necesse habetis à quoquam doceri, אֵלֶּיךָ וְאֵלֵינוּ (pro אֵלֶּיךָ וְאֵלֵינוּ) nisi quemadmodum ea unctos docet vos de omnibus, quæ & verax est, & non mendax* (quales sunt traditiones Antichristi) indicans Reformationem futuram secundum normam sermonis Apostolici. Et prima illa *nox indicabat* (utitur hic Psalter verbo chaldaico חוה pro Hebræo חַיִּים) scientiam, in usum & commodum *noctis* sequuturæ. Quandoquidem prima illa nox exempla suppeditabat illustrissima tum honestatis & prudentiæ in vitiis erroribusque communibus, tum & tolerantia in afflictionibus, quæ, veluti stellarum indicia atque prælagia observaret, *naucleorum & Chaldæorum ritu, posteritas noctibus similibus, veluti tempore dominantis Antichristi & ingruente bello Gogi & Magogi, seu postremâ & gravissimâ Antichristi persecutione, ut vel vitæ suæ curriculum secundum ea componeret vel ex eis auguraretur de futuris. Siquidem posteritati ex isto Ecclesiæ statu augurari tutò licebat fore ut, sicut primam & gravem Ecclesiæ afflictionem exceperat pax initiata, ita postremam hanc & gravissimam Ecclesiæ afflictionem similiter sequeretur pax absoluta & perpetua. Apoc. 7, 9. 14. f.*

8. 1. Prædicationis istius defectus sub Oeconomiam veterem. V. 4. *Non est dictum, sermo, &*

non

non sunt verba, non auditur vox eorum, cœlorum.
 Cel. Coccejus hoc ita explicat, *Narrant cœli,*
non voce, non dictis, non sermonibus, sed quasi scri-
ptura, quæ ab omnibus legi & cognosci potest, qui
litteras, quæ ubique exstant, velint in verba colligere.
 Verum nos ostendimus heic sermonem esse,
 non de cœlo propriè dicto, sed de Aposto-
 lis regimini Ecclesiæ Novi T. præfectis, Matt.
 19, 28. qui, non scriptura tantum, sed etiam
 voce docuerunt, & præconium ubique fece-
 runt. Itaque nec LXX. hæc verba rectè ver-
 terunt: *Ουκ εἰσι λαλιαὶ ἔδὲ λόγοι ὧν ἔχ' ἀκρόνται*
αἱ φωναὶ αὐτῶν. *Non sunt loquelæ neque sermones*
quorum voces non audiuntur: nec Junius &
 Trem. *Non est sermo neq; verba eis,* & (nihilominus)
sine his intelligitur vox eorum. Belgæ habent
Geene Sprake noch geene Woorden zynder daer hare
Stemme niet en worde behoort q. d. Vocem eo-
rum audiri apud omnes linguas & nationes,
atque à singulis intelligi. Verum hoc est quod
dicitur versu sequenti: hic autem indicatur
contrarium. Siquidem nulla heic est affir-
matio, sed meræ negationes, בלי אין ואין.
 Arbitror itaque heic describi conditionem il-
 lius temporis, quo vox illorum (cœlorum)
 exitura erat in totam terram. Quod tunc
 erat futurum, cum non esset sermo, & non verba,
 cumque non audiretur vox eorum: prout etiam
 factum esse docuit eventus.

9. Etenim illo tempore, quo vox evangelii
 exiit in totam terram, inter Judæos non erat

ⲁⲙⲣ *dictum*, sermo evangelii, quo videlicet complementum promissionis enuntiaretur. Unde ea, quæ per sermonem illum prolata & vulgata sunt, dicuntur ἀποκεκρυμμένα, ἢ γνωριζόμενα, σεσιγημένα, *occulta, non patefacta, tacita*, d. d. l. l. 1. Cor. 2, 2. Eph. 3, 4. Rom. 16, 25. & Hebr. 3, 5. τὰ λαληθησόμενα *quæ post erant dicenda*: confer Deut. 29, 29. Eph. 3, 9. Et intergentes quoque eo tempore non erant דברים *verba* promissionis videlicet aut prophetiæ. Nam דברים significant *promissa*. Jos. 23, 14. Ps. 105, 8. 19. 119, 74. aut *verba* prophetarum Jer. 26, 5. Zach. 1, 6. &c. Etsi enim apud illas crebra essent dæmonum aut impostorum oracula & extarent carmina sibyllina, verorum tamen prophetarum vaticinia eis erunt denegata. Ps. 147, 19. *Indicat Jehova דברו verba sua* promissa sua, *Jacobo, non fecit ita ulli genti*. Num. 23, 23. In tempore dicitur *Jacobo* Ⲅⲟⲩ *Israeli*, non gentibus reliquis, *quid operetur, quid molietur, Deus*. Denique *vox eorum non est audita* neque à Judæis neque à gentibus. Non à Judæis. Hi enim audiebant quidem φωνὴν ῥημάτων *vocum verborum* foederis, sed tanto cum terrore pronuntiatam, ut ipse Moses expavesceret & tremmeret, Hebr. 12, 19. 21. habentemque adjunctum hoc ferale carmen *Maledictus omnis*. - - Gal. 3, 10. Audiebant quoque voces prophetarum, Act. 13, 27. lætiora præfagientium: sed his ipsis significabatur per revelationem, eos *non sibi, non Judæis, sed Christianis, ea ad-*
mini-

ministrare, quæ ipsi quidem prænunciabant, sed olim demùm erant annuntianda per Apostolos & Evangelistas. 1. Petr. 1, 12. Quæ proinde describuntur ea, quæ oculus non viderat, auris non audiverat, nec in mentem hominis venerant, 1. Cor. 2, 9. quæque multi prophetae & justi desideraverant audire, sed non audiverant: Matt. 13, 17. Ut omit- tam, quod inde à tempore Malachiae vivæ pro- phetarum voces conticuerant. Non à genti- bus. De his enim scriptum erat Jes. 52, 15. Quibus non erat annunciatum de eo videbunt, an- tequam audierint, & qui non audierunt intelli- gent, ubi audierint. (Conf. Rom. 15, 21.) & Rom. 10, 14. Quomodo credent gentes ei de quo non audierint? quomodo autem audient absque præ- dicante? quomodo autem prædicabunt nisi missi fue- rint gentium Doctores?

10. 7. Ejusdem amplitudo sub Oeconomia Nova. V. 5. In totam terram exivit linea eorum, & in extremum orbis habitabilis sermones illorum. Loquitur hic Psalter de linea, seu delineatione, illorum, cælorum videlicet, deque sermonibus illorum: atque illam dicit exivisse in totam ter- ram, hos in extremum orbis habitabilis. Sunt Viri docti, qui hæc intelligunt simul de voce cælorum, propriè dictorum, gloriam Dei enarrante, simul de voce evangelii, totum mundum personante: rati Psalter voluisse in- nuere, vocem illam cælorum naturalium (quæ intelligi non possit nisi per νόστον πίστεως considerationem fidei. Hebr. 11, 3. Quapropter etiam

etiam dixerit Apostolus Rom. 1, 20. τὰ ἀόρατα
 τῆ Θεοῦ τοῖς ποιήμασι νοήματα καὶ δοξαζόμενα invisibi-
 lia Dei ex eis quæ fecit pervideri, sed non nisi per
 ejusmodi νόησιν) non potuisse quoque exire
 in totum mundum, neque à gentibus cogno-
 sci, nisi interveniente voce evangelii, fi-
 dem in gentibus generante, utpote quæ sit
 lex illa *Jehovæ illuminans oculos, & sapientem fa-
 ciens fatuos*, de qua v. 8. 9. Quæ interpreta-
 tio plus acuminis quàm simpliciter ac veri-
 similitudinis habet. Nec desunt, qui ut vocem
 cœlorum adspectabilium, gloriam Dei enar-
 rantium, cum voce evangelii concilient, per
 gloriam illam intelligunt eam gloriam, quæ
 circa adventum Christi in carne Deo tribu-
 enda erat & tributa est, è cœlo, seu firma-
 mento, propriè dicto, veluti per steillam il-
 lam, nativitatis ipsius indicem, Matt. 2, 2. per
 angelos nativitatis ejusdem nuntios Luc. 2,
 10. 13. per Spiritum in Baptismo Jesu specie
 columbæ è cœlo descendentem, perque vo-
 cem, eodem tempore è cœlo delatam, Matt.
 3, 16. 17. per obtenebrationem solis tempo-
 re passionis ejus, Luc. 23, 44. 45. per nubem,
 quæ ipsum post resurrectionem in cœlum su-
 stulit, Act. 1, 9. perque Spiritum S., festo Pente-
 costes è cœlo emissum sub specie audibili & visi-
 bili flatus violenti & linguarum ignearum. Act.
 2, 2. 3. Sed & hanc interpretationem argutè
 quæsitam esse apparet. Magis genuinum est,
 ex usu loquendi sacris Scriptoribus solenni,
 per

per *cælos* intelligere *cælos* symbolicos, Apostolos, per Spiritum è *cælo* emissum loquentes. Horum enim *cælorum delineatio & sermones*, non autem *cæli* propriè dicti, verè *exierunt in omnem terram, & in extremum orbis habitabilis.*

II. Quoniam (ut hoc obiter adspargam) per *vocem* illam è *cælo delapsam*, d. Matt. 3, 17. perque *sonum* illum, *tanquam ruentis flatus violenti, totam domum replentis*, d. Act. 2, 2. adumbrata fuerit vox illa *cælorum* symbolicorum, qua de heic Psaltes agit. Sicut enim d. Matt. 3, 16. per *Baptismum* Jesu figurabatur ipsius mors & resurrectio, per *descensum Spiritus in ipsum* effusio Spiritus S. in corpus ipsius, Ecclesiam, ita per *vocem* illam è *cælo delatam*, v. 17. nec non per *sonitum illum, ceu flatus violenti, repentè è cælo existentem*, Act. 2, 2. significabatur vox evangelii, effusionem Spiritus S. insequentura, quæ fuit vox verè divina & cælestis, vox Dei & non hominum. Act. 12, 21. Quandoquidem Spiritus S., ceu Spiritus vitæ, è præcognitione, promissione, prophetia, Dei Patris (in qua illa antea quasi delituerat Eph. 3, 9. Unde Spiritus ille toties *promissio Patris*, h. e. Spiritus à Patre promissus, audit, Luc. 24, 49. Act. 1, 4. 2, 33. Eph. 1, 13.) per justitiam meritumve Christi emissus, evangelium vitæ, ex eadem promissione quasi emanans Apostolorum ore prædicavit, ita *loquentium prout Spiritus eis dabat effari*, d. Act. 2, 4. *nec quidquam*

quam loquentium, quam ea quæ Prophetæ & Moses futura prædixerant. Act. 26, 22. Ut de ipsorum doctrina verè dici posset, quod Jesus dixerat de sua Joh. 7, 16. ipsorum doctrinam non esse doctrinam ipsorum sed doctrinam Dei Patris; quippe à Patre olim promissam per Prophetas. Rom. 1, 2. & nunc per Filium ipsius enuntiatam & revelatam, Hebr. 1, 1. perque eos qui ipsum audierant confirmatam, c. 2, 3. adeoque doctrinam verè divinam & cœlestem, seu vocem è cœlo delatam.

12. Per $\sigma\iota\gamma\mu\alpha$ lineam seu delineationem, eorum non intelligo hic, cum Coccejo & Tillio, literarum ductum, notas, signa, characteres & emblemata, qualia Ægyptiorum sacerdotes olim adhibebant ad erudiendos tirones (cujusmodi hieroglyphicam cœlo quoque visibili adscribunt) sed ea quæ Spiritus S. Apostolis dabat ἀποφθέγγεσθαι eloqui, d. Act. 2, 4. Rectè itaque LXX. quoad sensum ὁ φθόγγος αὐτῶν eloquium ipsorum. Quod eloquium tamen appellatione lineæ, seu delineationis, venit, quoniam proculdubio commodatum erat ad captum Judæorum, qui erant νήπιοι pueri, Gal. 4, 1. continens quasi delineationem & sciagraphiam doctrinæ veritatis, vel, ut cum Apostolo dicam τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τῆς Θεῆς rudimenta initii eloquiorum Dei Hebr. 5, 12. vel τὸν τῆς ἀρχῆς τῆς Χριστοῦ λόγον inchoationis Christi sermonem, c. 6, 1. oppositum egenis & infirmis mundi elementis, ceremoniis legis

legis. Gal. 4, 9. Quæ alioqui eadem *linea*, sicut & *ῥοιχαιῶν* rudimentorum appellatione veniunt. Jes. 28, 10. *Præceptum ad præceptum, præceptum ad præceptum*, קב לקב קב לקב *linea ad lineam, litera ad literam, parum ibi parum ibi.* Innuit Propheta Israellem haberi more puerorum, quibus nunc hæc nunc illa regula, nunc hæc nunc illa litera, per intervalla inculcatur. Hæc delineatio *exiit in totam terram* cum Evangelium, Judæis prædicatum, pervasit totam Judæam Galilæam & Samariam. Act. 9, 31.

13. מלה proprie notat *ditionem*, vocabulum, Ps. 139, 4. sicut קי *literam*. Itaque per מליהם *sermones eorum* heic intelligo institutionem *τελειῶν* *adulorum*, quorum est solidus cibus, Hebr. 5, 14. de quâ Apostolos in fin. 1. Cor. 2, 6. *Sapientiam loquimur inter adultos, & Col. 1, 28. Christum annuntiamus - - docentes, omnem hominem cum omni sapientia, ut omnem hominem sistamus* τέλειον *perfectum in Christo Jesu*, ac præsertim promissiones regni Dei propagandi in totum terrarum orbem, atque omnes inimicos superaturi. Rectè itaque LXX. τὰ ῥήματα, h. e. promissiones. 2. Petr. 3, 2. Jud. v. 17. Apoc. 17, 17. 19, 9. Sic ῥήματα ζωῆς αἰωνίας sunt promissiones *vite eterne* Joh. 6, 68. Hi sermones *exierunt* חבל בקצי *eis τὰ πέρατα τῆ οἰκουμένης* *in fines orbis terre*, h. e. ad omnes usque gentes. Nam חבל & οἰκουμένη significant *mundum habitabilem* & cognitum (unde ארץ *terra* & חבל *habitabilem*)

Class. II. Fasc. V. Eee tabi-

tabilis passim distinguuntur Ps. 24, 1. 90, 2. Conf. Luc. 2, 8. 4, 5. Act. 11, 28. 24, 5.) ac præsertim terram omnē frugiferam (nam יבול est proventus terræ Lev. 26, 4.) τὸ ἄβυσσος deserto oppositam, Es. 19, 17. adeoque terrarum orbem qua futurum sedem Ecclesiæ. Quæ proinde appellatur הבל Ps. 93, 1. 96, 13. 1. Chron. 16, 30. & ἡ οἰκισμένη, Hebr. 1, 6. item οἰκισμένη ἡ μέλλουσα orbis habitabilis futurus, in futurum promissus. Nimirum Evangelium, sermo vitæ, primum prædicari debuit Judæis, deinde & gentibus. Act. 13, 46. 26, 23. Quare Jesus Apostolis suis dicebat. *Recipietis virtutem Spiritus S. - - eritisque mihi testes in Hierusalem, & in tota Judæa & Samaria, & usque ad ultimas terras.* Conf. Luc. 24, 47. Illis autem, ceu infantibus, annuntiandum erat evangelium libertatis, his autem, ut adultis, & à lege immunibus evangelium regni Dei & mysteriorum illius omnium, quæ illi primum capere non poterant.

14. B. Commemoratio objecti illius evangelii, nempe Christi regis & regni ejus in omnia, exstat d. v. 5. in fine v. 6. & 7. Ubi est Christi commoratio cum Evangelio inter Judæos: ipsius discessus cum Evangelio ad gentes: hujus inter eos propagatio: & regni ejus consummatio.

κ. Commoratio Christi cum evangelio inter Judæos figuratur his verbis, *Soli posuit tentorium in eis.* Per שמשן Solem, hic intelligo Chri.

Christum regem, cujus communissimum hieroglyphicum est Sol, 2. Sam. 23, 4. Pl. 84, 12. Mal. 4, 2. &c. Unde ipse & *lux mundi*, Joh. 8. 12. & *vera lux, quæ omnem illuminat hominem, veniens in mundum*, Joh. 12, 46. cluet. Huic Jehova posuit *σκήνωμα* tentorium *בהם* in eis, h. e. vel per eos, ut v. 12. Etiam servus tuus illustratur *בהם* per ea, nempe judicia Jehovæ, vel inter eos ut Jes. 43, 9. Sunt qui hic cogitant de exaltatione Christi ad dextram Patris: sed cum jam antè actum sit de prædicatione evangelii, non fit verisimile Psalten hic regredi ad eam exaltationem. Ego opinor per *tentorium* hoc, quod Jehova per cœlos Apostolos, Christo composuit, significari electos ex Judæis, in quibus ipse cum evangelio aliquandiu commoratus est, tanquam viator, qui divertit ad pernoctandum Jer. 14, 8. Quæ sunt illæ *cortina Salomonis, similes tentoriis Kedar*, quoniam electi illi Hierosolymæ non erant affixi, quippe mox ad gentes transmigraturi. Cant. 1, 5. Hoc *σκήνωμα* Christo posuerunt Apostoli, circumcisionis in primis, Petrus Jacobus & Johannes. Gal. 1, 8. 9. Quomodo Petrus cum iisdem sociis, Christo similiter volebat facere *σκηνην* *tabernaculum* in monte illo, quanquam nesciens quid diceret, Marc. 9, 5. 6. eo ipso quippe significans, inde migrandum esse ubi fixam sedem desiderabat. De hac suâ inter Judæos cum evangelio *σκηνώσει*, *commoratione*, tanquam in tabernaculo, duraturâ quàm diu

appellaretur τὸ σήμερον hodie illud, quo vox Domini ab eis audiebatur, Hebr. 3, 7. 13. (quam alibi adumbrat transitu per medium illorum, Luc. 4, 30. transitu Hierichuntis, Luc. 19, 1. & transitu Samariae Joh. 4: 4. coll. Luc. 9: 51-54. quæque figuratur commoratione Regis in accubitu suo Cant. 1, 12.) ipse Dominus Zach. 2: 10. 11. sic loquitur, Cane & letare filia Sionis, quia ecce venturus sum & habitaturus in medio tui, κατασκηνώσω ἐν μέσῳ σου. - - Quorsum etiam Johannes collimat, saltem altiore sensu, cum dicit c. 1: 14. Sermo factus est caro, h. e. non tantum natus sed etiam denatus est, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν & commoratus est inter nos, nempe post mortem & resurrectionem, quin etiam post manifestationem gloriæ unigeniti per prædicationem evangelii inter gentes, factam ministerio Pauli & Barnabæ, plenus & gratiæ veritatis. Quæ tamen etiam possunt accipi de habitatione ejus in corpore, tanquam in tabernaculo.

15. 2. Ejusdem discessio à Judæis exprimitur verbis: Et ipse est ut sponsus prodiens è thalamo suo. Christus, solis instar, luce vestitus, Ps. 104, 2. Apoc. 1, 16. consideratur hic ut sponsus (conf. Joh. 3, 29. Matt. 9, 15. 25, 1-10.) egrediens è thalamo suo (הָנִיחַ, à הָנִיחַ operire, vel potius à הָנִיחַ protegere, thalamum significat, Joel. 2, 16. & tegmen. Jes. 4, 5.) h. e. vel ἀναλύων ἐκ τῶν γάμων revertens à nuptiis, ut Luc. 12, 36. vel sponsæ suæ obviam procedens, eam rece-

recepturus & introducturus ad nuptias ut d. Matt. 25, 6. 10. Utroque modo verba hic sumi commodè possunt: Dominus enim introducit hic, ut qui sponsam suam, electos ex Judæis, jam introduxerat in thalamum suum, & post celebratas cum ea, quasi in occulto, aut tegmine politiæ Judaicæ, Cant. 1, 7. vel sub protectione Dei, Deut. 33, 12. nuptias, Matt. 21, 1. 2. egrediebatur è thalamo illo, obviam iturus alteri sponsæ, electis ex gentibus (quam ei Paulus Apostolus ambiverat, & nunc sistebat, ut virginem puram, 2. Cor. 11, 2. sicut servus ille Abrahami Rebecam Isaaco domino Gen. c. 24.) eamque recepturus. Pridem statuebam heic sermonem esse de resurrectione Christi ex mortuis. Quæ explicatio etiam apprimè videtur quadrare his verbis. Nam i. sepulchro ejus benè convenit appellatio תַּחַת *tegminis & thalami*, tum quia ipse in co-tectus fuit & coopertus magno lapide imposito, tum quia ipso illic obdormiente, ex *claudicatione*, lapsu, morte, ejus exstructa est à Deo sponsa ejus, Ecclesia, sicut ex *costa* dormientis Adami mulier. Gen. 2, 22. Si quidem *עֲצָם* *costa* derivatur à *עָצָה* *claudicare*, unde *עָצָה* *claudicatio*. Nam ante mortem ipse solus erat (quod non erat bonum, Gen. 2, 18.) at ipse mortuus est ut non remaneret solus. Vid. Joh. 12, 24. 2. Quia ipse egressus est è thalamo illo, ut sponsus, sponsam suam, jam jam ad se adducendam, cum gaudio recepturus. 3. Quia

ipse indidem prodiit ut sol, quippe resurgens ex oriente sole Marc. 16, 2. qui eo moriente fuerat obtenebratus, Luc. 23, 45. ut intelligeremus ipsum esse ἀνατολήν ἐξ ὕψους eum qui prodiit ex alto, verum solem, per mortem quidem quasi obtenebratum, at per resurrectionem exortum cum novâ ac salutari luce. Unde Act. 26, 23. dicitur Christum primum ex resurrectione mortuorum lucem annuntiasse populo & gentibus h. e. ex sepulchro solis instar exortum adscendisse in altum, ut lucem suam in Judæos & gentes diffunderet. Verum, si hoc amplectimur, anteriora verba posuit soli tabernaculum accipienda sunt de tabernaculo corporis Christi, Joh. 1, 14. 2, 24. in quo venit ut ministraret. Quod cum appellatione solis pulchrè consentit. Nam שֶׁשֶׁת sol derivatur à שֶׁשֶׁת, quod Chaldaeis est ministrare, quia lucem homini ministrat: & תֵּבַת explicandum de cælis, h. e. regno Dei, quod jam inter Apostolos & in eis erigebatur Luc. 17, 21. Neque hanc verborum sententiam nunc planè sepono. Præsertim cum nec ordo reclamet; quoniam primum & præcipuum prædicationis evangelii objectum est resurrectio Christi ex mortuis. Quanquam priorem magis commendare videatur temporum successio. Quam nunc insequemur.

16. 1. Propagatio Evangelii inter gentes exponitur verbis, *Alacris est ut heros ad decurrendum iter.* Propagatio evangelii & erectio regni

gni Dei inter gentes, comparatur hic cum cursu illo, quo sol suum absolvit curriculum, ab Oriente festinans ad Occidentem, ad instar cursoris, qui alacri & generoso animo, cursuque indefesso nec impedito aut variante, tendit ad metam in stadio propositam. Quomodo etiam ipse Deus ait Mal. 1, 11: *Ab ortu solis usque ad occasum ejus magnum erit nomen meum in gentibus*, intelligens unum illud nomen Christi solis justitiæ, sub cælo datum inter homines, per quod oporteat nos servari. Act. 4, 12. De hujus exortu solis idem dicit Mal. 4, 2. *Exorientur vobis, o timentes nominis mei, in quavis gente* Act. 10, 35. *Sol justitiæ, cum curatione gentium in alis ipsius*, h. e. radiis salutaribus: Quem admodum de curriculo viæ ejus Psaltes ait Ps. 45, 4. *Accinge gladium tuum femori, Heros, & prosperè equita cum verbo veritatis* - - & proloquere justitiam & docebit te terribilia dextera tua, sagittæ tuæ acutæ, populi subter se cadent - - Et Johannes Apoc. 6, 2. *Exivit ut vinceret, nempe per sceptrum roboris sui Sione emissum*, Ps. 110, 2. *per legem è Sione exeuntem*. Jes. 2, 3. *Ut, quod de itinere justorum dicitur* Prov. 4, 18. *Iter justorum simile est luci splendidae pergenti lucere usque ad plenum diem*, itineri hujus *Justi καπελάων* conveniat. vid. Apoc. 1, 16. Nec abs ratione est quod Christus hic nuncupatur *נבור heros, præpotens, prævalens, victor*, (nam *נבורה* est *vixn victoria* Exod. 32, 18.) & quidem *ישׁוׁף alacer, hilaris*, *αγαλλίαζων*. Siquidem ipse in

hoc itinere (quod non magis sufflaminari poterat à quoquam mortalium quàm iter solis) nihilominus offensurus erat adversarios, regni ejus progressum reprimere satagentes, Judæos videlicet contumaces, atque Imperatores Romanos, acerrimos Ecclesiæ persecutores: at victoriam de eis alacriter relaturus (vid. Deut. 28, 63. *וַיִּשְׂשׂוּ* alacer erit Jehova contra vos ut perdat vos Prov. 1, 26. Jes. 42, 13. *Jehova velut heros prodibit, ut vir bellicosissimus vigilans zelo, clanget, etiam barriet, contra hostes suos potenter se geret*) eâque tempore Constantini M. relatâ, de suorum salute gavisurus. Vide Zeph. 3: 17. *Jehova Deus tuus in medio tui, potens, servaturus est, gavisurus de te letitiâ, conquieturus in amore suo, exsultaturus de te cantu.* Deut. 30, 9. *Jehova letabitur de te benefaciendo tibi.* Sicut autem Sol cursu isto noctium & dierum vices efficit, ita quoque sol justitiæ, existens ut gentes devinceret, tempora tenebrarum & lucis, calamitatis & prosperitatis, persecutionum & relaxationum, alternavit.

17. 7. De regni ejus consummatione dicit Psalter v. 7. *A fine cœlorum exitus illius est & conversio illius ad fines eorum, & non est quod occultetur à calore ejus.* Respicit heic Psalter ad cursum solis annum, quo ille duodecim signa Zodiaci perambulat, ac arietem ingrediens & egrediens è sagittario, seque cùm ad septentrionem tùm ad meridiem inflectens, æstatem & hyemem, temporaque his adjuncta, efficit: intelligens per *fines cœlorum* ultimos Zodiaci

diaci terminos, ubi sol vel in summo vel in imo cursus sui puncto conspicitur perque *conversionem ejus* ejus *τροπήν inflexionem*, qua retro-reditur usque ad finem. Existimo autem hic per *egressum solis à fine cœlorum* (qui omninò distinguendus est ab *egressu ejus è thalamo suo* de quo v. 6. eoque procul dubio est posterior) significari *progressum veritatis*, inde ab initio regni, quod Christus demùm tempore Constantini M., devictis hostibus, capessivit Apoc. 20, 1-4. Quanquam etiam antè quodammodo *dominaretur in mediis hostibus*, Ps. 110, 2. quatenus ipse eo tempore hostes compe-
scebat, ne erectionem regni sui inter gentes impedirent. Sicut enim Josephus in Ægypto antè in carcerem compactus est (ubi tamen reliquis profuit captivis) quàm in summam illam præfecturæ gloriam eveheretur; ita Christus quoque in Romano imperio antè multa perpeffus est, & in ipsis perpeffionibus victor exstitit, Rom. 8, 36. 37. quàm in eo regnum occuparet. Vide Apoc. 1, 9. ubi Johannes, re-
præsentans Ecclesiæ ministros, seipsum vocat *συγκοινωνὸν ἐν τῇ θλίψει καὶ ἐν τῇ βασιλείᾳ καὶ ὑπομονῇ Ἰησοῦ Χριστοῦ participem in afflictione & in regno & patiente expectatione Jesu Christi*, intelligens afflictionem Ecclesiæ sub Imperatoribus Ethnicis, regnum ejus sub Imperatoribus Christianis, & patientiam sub Antichristo. Apoc. 13, 10. 14, 12. At per *conversionem ejus ad fines cœlorum* significari arbitror regressum ejus, factum in Reformatione, cum ad justitiam re-

diit iudicium, Pf. 94, 15. usque ad finem & consummationem regni Christi. Neque forte de nihilo est quod dicat quidem à fine, sed ad fines. Quo indigitari videtur consummationem regni Christi comprehendere conversionem Judæorum & gentium. Hic autem folis justitiæ cursus effecit æstatis & hyemis alterationes. Siquidem æstas fuit antè exortum Antichristi, hyems eo dominante, atque iterum æstas fuit in initio Reformationis, cui hyems restituti imperii Babylonis (Apoc. 18, 7.) succedet, duratura donec nihil erit quod à calore illius solis occultetur.

18. Verba autem illa finalia, ואין נסתר מחמתו dupliciter possunt exponi, vel Non est qui abscondet se ab illius æstu, LXX. οὐκ ἐστιν ὅς ἀκρυβήσεται τὴν θέρμην αὐτοῦ vel Nihil est quod abscondatur à calore ejus, h. e. nihil est ad quod non perveniat calor ejus vivificus. Prius accipio de hostibus, quorum nullus, ac ne quidem Antichristus, utut vires suas ad tempus resumens, effugere poterit iram Agni, Apoc. 6, 16. quæ cum æstu solis comparari solet, Pf. 121, 6. Jes. 49, 10. Apoc. 7, 16. Cant. 1, 6. Posterius ad omnes gentes, quarum nulla est quæ non sentiet efficacem & vivificam ejus virtutem. Kimchius: calor solis in mundo est instar caloris cordis in homine, sine quo vivere nemo potest. Non possum quin heic obiter adjungam, deridiculo mihi esse videri eos, qui in hoc loco, dum corticem verborum lambunt, reperisse sibi

fibi videntur argumentum apodicticum pro motu solis & terræ quiete. Nam si illi ad mysticum verumque hujus loci intellectum penetrarent, animadverterent Christum, solem justitiæ ad dextram Patris in cœlo quietum immotumque considerare, ita ut è cœlo non egrediatur, Act. 3, 21. dum interea cursum suum, intercedente terræ, h. e. Incolarum ejus, motu, absolvit. Sicut enim terra tum intrinseco motu circa axem suum vertitur, tum motu extrinseco ab aëre, ipsum ambiente, circa solem defertur, atque illo motu dierum & noctium vices, hoc cardines temporum æstatem & hyemem, efficit, ita quoque intrinsecâ quasi rerum terrenarum mobilitate ac revolutione, tempora lucis & tenebrarum, pacis & afflictionum, recipiuntur, sed quod nunc hæc, nunc illa terræ pars propius ad Christum accedat, aut longius ab eo removeatur, id voluntati & operationi Spiritus S. (1. Cor. 12, 11.) acceptum ferendum est.

19. II. Pars altera complectitur commendationem evangelii, & adjunctam precationem. A. Commendatio evangelii existat v. 8-11. Ubi Evangelium consideratur vel quâ prædicatum Judæis: vel quâ annuntiatum gentibus: vel quâ nequicquam impugnatum à Pseudapostolis: vel quâ per afflictiones exploratum: vel denique quâ dignâ mercede damna data rependens.

✠Evan.

8. Evangelium, quâ Judæis prædicatum, duobus ornatur elogiis v. 8.

a. Primum est, *Lex Jehovæ est perfecta, restituens animam.* תורה יהוה *Lex Jehovæ* heic notat legem Christi, Gal. 6, 2. *legem regiam*, Jac. 2, 8. *legem perfectam libertatis*, c. 1, 25. *legem Spiritus vitæ*, Rom. 8, 2. *legem fidei*, Rom. 3, 27. evangelium. Hoc autem appellatur תורה *doctrina* (nam הורה est *docere*, מורה *doctor* à ירה *jecit*) h. e. demonstratio viæ, quæ fit vel jactu lapidis aut teli, vel projectu digiti aut manus: & quidem *doctrina Jehovæ*, h. e. doctrina evangelica, per quam Jehova, jam factus quem se fore promiserat, nempe justitia nostra Jer. 23, 6. peccatoribus monstrat viam justitiæ & vitæ, non in promissione, sed in veritate. Mat. 22, 16. Ea verò doctrina est תמימה *perfecta*. תמים significat vel ὅλον, ὁλόκληρον, τέλειον, totum, *integrum*, *perfectum*, quod omnibus suis partibus constet (quomodo dicitur *agnus perfectus*, Exod. 12, 5. *mas perfectus*, Lev. 1, 3. h. e. non mutilus, & *integer dies*, h. e. completus, Jos. 10, 11.) vel ἀκακον, ἄμωμον, ἄμειπτον, *sincerum*, *sine labe*, *inculpatum*. Quomodo dicitur *vir sincerus*, integer vitæ scelerisque purus, Gen. 6, 9. 17, 1. non perversus. 1. Sam. 14, 41. Utroque modo lex Jehovæ, legi Mosis opposita, erat τέλειος *perfecta*, d. Jacob. 1, 25. & ἀμειπτόν *que timonia vacans*. Hebr. 8, 7. 1. Quia non umbram tantum futurorum bonorum habebat, sicut lex Mosis, sed ipsam rei imaginem, Hebr.

10, 1. *corpus ipsum*, Col. 2, 17. nec gratiam
 promissionis duntaxat, sed gratiam & verita-
 tem, Joh. 1, 17. seu veram gratiam, 1. Petr. 5,
 12. eamque, non Judæis solum, sed omnibus
 hominibus, salutarem. Tit. 2, 11. Quo sensu fi-
 deles Novi T. erant τέλειοι, sicut Pater ipso-
 rum cœlestis erat τέλειος & perfectus; siquidem
 inimicos suos, h. e. gentes (quos Judæi pro inimi-
 cis habuerant, conf. Eph. 2, 15.) etiam diligebant,
 sicut Deus nunc omnes gentes paterno com-
 plectebatur affectu. 2. Quia conqueri de eâ
 non licebat, sicut de lege Mosis, quod nec ju-
 stificare posset nec vivificare, Gal. 3, 21. ceu litera
 occidens, 2. Cor. 3, 6. quod servitutem importa-
 ret, Gal. 4, 3. quod esset importabilis, Act. 15,
 10. infirma denique & inutilis. Hebr. 7, 18.
 Erat enim lex vitæ, Rom. 8, 2. sermo vitæ Phil.
 2, 16. spiritus vivificus, d. 2. Cor. 3, 6. spiritus &
 vita, Joh. 6, 63. potentia Dei ad quorumvis salutem;
 Rom. 1, 16. quippe sermo justitiæ, Hebr. 5, 13.
 per quem Christus veram prædicavit justitiam in
 congregatione magnâ, Pl. 40, 11. lex libertatis, Jac.
 2, 12. habens mandata non gravia, 1. Joh. 5, 3.
 jugum facile & onus leve fide & charitatis, Matt.
 11, 30. coll. 1. Joh. 3, 23. denique potens nos sa-
 pientes reddere ad salutem, & utilis ad doctrinam, ad
 redargutionem, ad correctionem, ad erudiendum in ju-
 stitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bo-
 num perfectè instructus. 2. Tim. 3, 15-17.

20. Quid mirum quod lex hujusmodi per-
 fecta insigniatur *שׁוּבָה נַפְשׁוֹ* animam redire faci-
 ens,

ens, restituens? Quo non tantum significatur recreatio aut refocillatio, quæ consolatione fit, uti Ruth. 4, 15. *Erit tibi למשיב נפש in restitutorum animæ, & ad sustentandam canitiem tuam, & Thren. 1, 16. Longè abiit à me consolator משיב נפש qui reducat animam meam, neq; refectio, quæ fit cibo ut Thren. 1, 11. totus populus gemit, quærentes panem, exponunt res suas desiderabiles pro cibo להשיב נפש ut se reficiant: sed etiam vivificatio, ut Job. 33, 30. Hæc operatur Deus fortis, reducendo animam ejus à fovea, vel à corruptione, ut vita ejus lucem respiciat. Conf. Joh. 11, 39. 44. Opponitur enim hæc restitutio animæ non tantum animæ defectui aut deliquio, sed etiam ereptioni animæ Jes. 32, 6. ejusve efflacioni, Job. 31, 39. h. e. morti. Nimirum Judæi, qui erant sub lege condemnante & occidente, mortui erant, Rom. 7, 9. *Precepti adventu peccatum revixit, ego verò mortuus sum* Matt. 8, 22. Eph. 2, 5. adeoque vivificatione indigebant. Hanc Christus effecit d. Eph. 2, 5. *cum eos liberavit à lege peccati & mortis per legem spiritus vitæ.* Rom. 8, 2. Prout illud figuravit Lazaro vi vocis suæ in vitam revocato, eoque fasciis, quibus obvinctus erat, exsolvi jussu. Joh. 11, 43. 44. coll. c. 5, 25. Neque dubito quin huc respiciatur 1. Reg. 17, 21. 22. ubi, cum precaretur Elias השׁיב נא נפש דילר revertatur obsecro anima pueri, Deo preces ejus exaudiente, השׁב נפש הילר על קרבו reversa est anima pueri in medium ejus. Sicut enim Elias, typus Chri-*

Christi erat & evangelii ejus, ita *filius viduae in Zarphat* figurabat filios Judæorum fidelium, per iram legis, tanquam per ignem, conflatorum. Jes. 1, 25. Jer. 6, 24. Qui, per legem spiritus vitæ ab execratione & morte liberati, reviviscebant, regenerabantur, restituti libertati, quæ verè vita erat, Ps. 69, 32. 33. & animæ restitutio. Ps. 23: 1. 2. *Jehova est pastor meus, - - ad aquas requietum agit me,* יֵשׁוּבָא נַפְשִׁי animam meam restituit.

21. β. Alterum est, *Testimonium Jehovæ est certum, sapientem faciens fatuum*, LXX. σοφίζουσι νήπιον. Referendum hoc ad eosdem Judæos. Hi enim erant נְהִיּוֹתִים νήπιοι, ἄφρονες, Gal. 4, 1. *fatui, simplices*, Prov. 1, 22. *Quousque fatui amabitis fatuitatem? & c. 8, 5. Intelligite fatui prudentiam.* Utrobique de Judæis præcipuè sermo est. Hos autem *sapientes fecit testimonium Jehovæ, quia certum erat.* Quam Psalter modo vocaverat legem Jehovæ, nunc vocat ejusdem עֲרִית מַעֲלֵוֹת testimonium, quoniam Jehova per eam testificabatur cum de summo hominis bono, vita æterna, tum de mediis illius acquirendi, gratiâ Dei, merito Christi, & utriusque fide. 1. Joh. 5, 11. *Hoc est testimonium Dei, nempe quod vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio ejus est: qui habet Filium, per fidem apprehensum, habet vitam.* Hoc testimonium Jehovæ erat נֶאֱמַר אֱמֶת, *verum & fidele*, quoniam ipse testis erat mentiri nescius, 1. Joh. 5, 9. 10. qui abnegare seipsum

non poterat, 2. Tim. 2, 11. 13. *certumque & firmum*, non sinens fatuos amplius *seduci, decipi, aut errare*, quoniam Spiritus S. (qui legem Mosis non comitabatur Deut. 29, 4. coll. Joh. 7, 39.) hanc legem cordibus eorum inscribebat, Hebr. 8, 10. eaque aperiebat ut sermoni Dei attenderent, Act. 16, 14. scripturas intelligerent, Luc. 24, 45. Ps. 119, 130. & vocem pastoris sui nossent. Joh. 10, 4. Unde Johannes d. ep. c. 5, 10. ait; *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium in se ipso.* Conf. Rom. 8, 16. 2. Tim. 1, 12. Apoc. 2, 17. Quæ certitudo eos sapientes faciebat, ut alienorum testimonium non acciperent, Joh. 10, 5. seque à gratiâ Dei, merito Christi, hujusque fide abduci nullâ ratione paterentur.

22. 2. Evangelium, quâ gentibus prædicatum, similiter duobus extollitur elogiis vers. 9.

α. Primum est, *Mandata Jehovæ sunt recta, letificantia cor.* Hic lex illa Jehovæ venit appellatione פקודות *mandatorum.* Intelligo ταύματα *mandata*, quæ Jesus dedit Apostolis suis per Spiritum S. Act. 1, 2. coll. Joh. 20, 22. nempe de prædicando omnibus gentibus evangelio, de eis baptizandis, non in Mosen, 1. Cor. 10, 2. sed in nomine Patris Filii & Spiritus S. (h. e. Dei, qui se jam revelaverat, non tantum ut Patrem, per promissionem & per prophetias, sed etiam ut Filium & Spiritum S. per veritatem, misso Filio ad justitiam & Spiri-

Spiritus S. ad vitam mundi) de annuntianda
 eis remissione peccatorum in nomine ipsius,
 deque docendo eos observare, non præcepta
 Moſis, ſed ſua; prout illa referuntur Matt.
 28, 19. 20. Marc. 16, 15. 16. d. Joh. 20,
 22. 23. Hæc mandata inſigniuntur ישרים
euſeia recta, tùm quia erant æquiſſima & con-
 venientiſſima, quippe unicè ſpectantia ad glo-
 riam Dei & ſalutem mundi (qui eſt ſummus
 finis & ſcopus) tùm quia nunc rectà & bre-
 viſſimè, ſine ulla ambage, ex teſtamento
 Dei ad teſtamenti illius exſequutionem, ſeu
 regni Dei erectionem in mundo, per ſolam
 prædicationem & fidem veritatis, adeoque
 ad finem illum contendebant. Unde ſcep-
 trum Jehovæ robuſtum, è Sione emiſſum, ſcep-
 trum, inquam, regni ejus, appellatur *πάβδος euſe-
 ias* *virga recta* Pf. 45, 7. Hebr. 1, 8. Hinc et-
 iam liquet quid ſibi velit Pſalter, cum Pf. 119,
 128. dicit *כל פקדי כל ישרתי* *omnia præcepta*
omnia rectificavi: nempe mandata Dei omnia,
 præſertim illud de vocandis gentibus ad li-
 bertatem evangelii (quod in Papatu obliqua-
 tum fuerat, adigendo gentes ad ſervitutem
 Antichriſti,) atque omnia reliqua, tunc mi-
 rum in modum contorta, examuſſitata eſſe
 in Reformatione. Quid mirum quod hæc
 mandata audiant *משמחי לב euſeivonta kardian*
letificantia cor? Audi Lucam Act. 13, 46-48.
 Tunc Paulus & Barnabas, loquendi libertate uſi,
 dixerunt. -- Ecce convertimus nos ad gentes,

ἔτω γὰρ ἐντέταλαι ἡμῶν ἐκείνη, sic enim nobis
 mandavit Dominus, dicens; Constitui te ut sis lux
 gentium, ut sis saluti usque ad ultimas terras.
 Gentes autem, hæc audientes, gavise sunt, & lau-
 dibus extulerunt sermonem Domini, ut rectum, &
 crediderunt quotquot ordinari erant ad vitam æter-
 nam. Ecce hic testamentum Dei, constitutio-
 nem Dei Patris, ejusque ordinationem! ec-
 ce exsequutionem illius; vitam æternam electo-
 rum ex gentibus! ecce viam brevissimam &
 levissimam, fidem! ecce mandatum Dei,
 Apostolis datum, ut ad gentes conversi, Christum,
 lucem gentium eis proponerent ad obedienti-
 am fidei, easque hac viâ rectâ ad vitam
 ducerent! ecce denique lætitiâ gentium,
 mandati illius rectitudinem celebrantium! Et con-
 fer Luc. 15, 23. εὐφρανθῶμεν oblectemur, & v.
 24. καὶ ἠέξαντο εὐφραίνεσθαι & cœperunt se exhi-
 larare, v. 25. ἤκουσε συμφωνίας καὶ χορῶν audiuit
 concentum & choros, & v. 29. nunquam dedisti
 mihi - - - ἵνα εὐφρανθῶ ut oblectarer (unde
 patet hanc lætitiâ non fuisse Veteris Testa-
 menti) & v. 32. εὐφρανθῆναι καὶ χαρῆναι εἶδει - -
 exhilarari & gaudere oportebat - - Unde patet
 eam esse Novo Testamento præcipuam: nec
 non Rom. 15, 10. εὐφρανθήτε εἰς τὴν lætiamini gentes.

23.β. Alterum est, Præceptum Jehovæ clarum est,
 illuminans oculos. Præceptum hoc distinguendum
 est omninò à mandatis, de quibus diximas. In-
 telligo autem hic per $\eta\eta\eta$ $\pi\omega\sigma\theta$ ἐντολήν τῆς κυρίας
 præceptum Domini, præceptum fidei per chari-
 tatem.

tatem operantis, Gal. 5, 6. vel *charitatis*, ex fide non ficta nata. 1. Tim. 1, 5. De quo Johannes ait 1. Ep. 3, 23. αὐτὴ ἐστὶν ἡ ἐντολὴ αὐτῆ hoc est *præceptum ejus*, ut credamus nomini Filii ejus Jesu Christi, & ut diligamus alii alios, sicut ἔδωκεν ἡμῖν dedit nobis *præceptum*, nempe Filius. Quæ ἐντολὴ ibidem v. 22. venit appellatione ἐντολῶν *præceptorum*. Hoc *præceptum credendi in nomen Filii Dei*, h. e. credendi Jesum Christum accepisse nomen supra omne nomen, nempe nomen Filii Dei, domini & hæredis omnium, & diligendi ἀλλήλους καὶ πάντας nos invicem & omnes, 1. Thes. 3, 12. per quam *charitatem* opera dabatur ut omnes eum, ceu talem, agnoscerent, erat ברר *clarum* (nam בר *clarum* significat, Cant. 6, 9. ברר כחמה clara ut sol, LXX. τὴ λαυγῆς eminus splendens, ἀ τήλε *procul* & αὐγὴ *splendor*) quoniam splendore suo se gentibus, quæ procul erant, commendabat. Nam & gratia Dei immensa, unde *præceptum hoc* profluebat, iræ pristinae succedanea, lux erat, prodiens ex tenebris, (unde *gratia Dei salutaris* dicitur *illuxisse omnibus hominibus* Tit. 2, 11.) & *præceptum ipsum fidei in Filium Dei*, qui erat *justitia & vita mundi*, & *charitatis*, cujus beneficio gentes ad fidem illam adducerentur, erat *præceptum vite æternæ*, Joh. 12, 50. adeoque mera lux. Unde Christus dicitur φῶς καταγγέλλειν τῷ λαῷ καὶ τοῖς ἔθνεσιν *lucem annuntiare populo & gentibus*, nempe per Apostolos, Act. 26, 23. & φωτίζειν τὴν ζω-

ἢν καὶ ἀφθαρσίαν διὰ τῆς εὐαγγελίας *lucere facere vi-*
tam & *incorruptionem per evangelium.* 2. Tim. 1,
 10. Atque hæc lux erat מאירה פוֹרְיִים פוֹרְיִים
 ἰφθαλμῶς *illuminans oculos, nempe cæcos gen-*
tium. De quibus sermo est Jes. 29, 18. *Ex*
caligine atque ex tenebris oculi cæcorum videbunt,
gentes, in ignorantiam crassissimam demersæ,
intelligent verba Dei, c. 33, 5. Tunc acuentur
oculi cæcorum, aperientur oculi gentium, & c.
 42, 7. *Ego Jehova dabo te - - - in lucem gentium,*
ut acuantur oculi cæci, v. 16. ducam cæcos in via
quam non cognoverant, & v. 15. cæci intuemini ad
videndum. Quare Christus (qui est vera lux,
 φωτίζει πάντες ἀνθρώπων *omnem hominem illum nat*
per evangelium Joh. 1, 9.) cum Paulum mit-
 teret ad gentes dicebat ei; *Eruam te ex genti-*
bis, ad quas nunc te mitto, ut aperias oculos eorum &
convertas eos à tenebris ad lucem, nempe per evan-
gelium, ut accipiant remissionem peccatorum, &
sortem inter sanctificatos, per fidem quæ est in me:
 Act. 26, 17. 18. atque ipse Eph. 3, 8. 9. dicit,
Mibi data est gratia hæc ut evangelizem in genti-
bis investigabiles divitias Christi, καὶ φωτίσω πέν-
τας & illuminem omnes, nempe per evan-
gelium.

24. 2. Evangelium, quæ nequicquam im-
 pugnatum à Pseudapostolis, duobus quoque
 decoratur elogiis v. 10.

α. Primum est, *Timor Jehovæ est purus, ma-*
tens in æternum. v. 10. Psaltes cum hic legem
 Jeho-

Jehovæ vocat יראת יהוה φόβον κρυφαῖν *timorem*
Jehovæ, eam considerat, non ut literam, sed
 ut spiritum, intus operantem, & animum ti-
 more Dei implentem. Per quem veri fide-
 les *trepidant ad verbum Dei*, Jes. 66, 5. h. e. ad
 verbum Dei audiendum accedunt cum trepi-
 datione, confugientes ad solam Dei gratiam,
 ac nihil afferentes præter cor contritum, me-
 riti sui præsumptione vacuum, & fide imbu-
 tum. Lex autem, qua hunc timorem Do-
 mini intus ciens, est טהורה ἀγνός *pura, casta,*
 misturam omnem operum legis cum fide
 evangelii, propriæ justitiæ cum justitiâ Chri-
 sti, respuens, dolum omnem in corde (vid.
 Ps. 32, 2. coll. 2. Cor. 4, 2.) aut in ore (1. Petr.
 3, 10.) odio habens, at veritatem in renibus
 amans. Ps. 51, 8. Et quâ talis, *stat, perstat, per-*
manet in perpetuum, עמדה לעד διαμείνων εἰς αἰῶνα
 αἰῶν. Quamvis enim Pseudapostoli, ac
 deinceps Antichristus, legem illam falsare
 connixi sunt, gratiam Dei cum operum me-
 rito, justitiam Christi cum justitia pro-
 priâ, miscentes, hæc tamen veritas, timen-
 tem Dei, h. e. justitiam, non ex operibus le-
 gis sed ex fide evangelii, quærentem, non
 autem Deum non timentem, h. e. suis me-
 ritis non confidentem, justificatū iri, secundum
 Luc 18, 11-14. perstat & perstabit in æternum.
 Jes. 40, 7. 8. *Exarescit gramen, cœremonia-*
rum legis, defluit flos, justitiæ quæ est ex lege,
cum Spiritus Domini (qui est Spiritus libertatis

2. Cor. 3, 17.) *flaverit in illum: exarescit gramen, defluit flos: at verbum Dei nostri, verbum fidei, stat in seculum, τὸ πρῶτον κρείς μένει εἰς τὸν αἰῶνα* *verbum Domini manet in aeternum. Hoc autem est verbum illud quod evangelizatum est vobis; ait Petrus 1. Ep. 1, 24. 25. Verbum fidei, licet à Pseudapostolis infestatum, insuperabile tamen & victoriosum stetit.*

25. β. Alterum est, *Judicia Jehovæ sunt veritas, justa sunt pariter. הויה י'טפמ טו κείματα τῆς Κρείς* *judicia Dei significant hic eandem legem, quâ illa credentes in Christum justos declarat & absolvit, incredulos, ut veræ justitiæ exfortes, condemnat. Quippe cujus vox legis hæc est; Qui credit in eum (Filius Dei) non condemnatur, qui verò non credit, jam condemnatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei, Joh. 3, 18. & propterea peccatum ejus manet, c. 9, 41. 16, 19. item hæc, qui credit in Filium Dei habet vitam æternam, qui verò non obedit Filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum, Joh. 3, 36. Quapropter Jesus Apostolis suis, dato eis Spiritu S., dicebat; si quorum nempe credentium, remisseritis peccata, per Spiritum meum, evangelium ore vestro prædicantem, remittentur eis: si quorum, incredulorum, retinueritis, retenta sunt. Joh. 20, 22. 23. Hæc judicia erant אמת veritas, vel ἀληθινὰ veritas, quia semper sibi constant (veritas enim nunquam se abnegat) atque ita stabilia sunt ut mendacium hominum adversus ea nihil valeat.*

leat. Semper enim justificabitur is qui credit & condemnabitur incredulus, quidquid homines inficientur; quia Deus secundum regulam hujus evangelii judicabit Joh. 12, 45. Rom. 2, 16. Eadem ירו ירקו *justa erunt*, & *justificabuntur pariter*, LXX. δεδικαιωμένα ἐπὶ τὸ αὐτὸ. Nam, sicut ea *justa sunt*, quia nihil sanctius, aut rectius, aut gloriæ Dei convenientius, dari aut excogitari potest quàm quod *justificentur* & *serventur* qui credunt in Filium ejus (in quo solo est *justitia & vita*) & qui non credunt *condemnentur*, Marc. 16, 16. ita quoque ea *justificata sunt* per Apostolos, cum illi *justitiam eorum* tam clarè demonstrarunt ut Pseudapostoli, obturato ore, cum pudore coacti sint ex Ecclesia discedere, perinde ut *accusatores illi mulieris*, in adulterio quidem *deprehensæ*, sed jam *credentis*. Joh. 8, 9. Ita ירקו *justum esse* usurpari solet pro *justum declarari*, apparere, ac, ut talem, manifestari Ps. 15, 6. ut ירקו *justus sis cum loqueris*, ὅπως ἂν δικαιωθῆς ἐν τοῖς λόγοις σου *ut justus*, h. e. *verus, comperiare in promissis tuis*. Ps. 143, 2. Non ירקו *justus erit* coram te ullus vivens, LXX. ἢ δικαιωθήσεται. Es. 43, 9. *Dent testes suos* & *justi sint*, καὶ δικαιωθήτωσαν, ut *justi causam obtineant ac triumphent*. Sed ea non tantum *justificata sunt* demonstratione veritatis ex scripturis, sed etiam *documentis in mundo evidentibus*, & quidem *pariter*, veluti excidio Hierosolymæ, quo Judæi *increduli condemnati sunt*, tan-

quam iniusti, Pl. 69, 29. & adventu regni Dei cum potentiâ post illud excidium, Marc. 9, 1. quo credentibus, ceu justis ex fide Christi, adjudicata est vita mundi, secundum illud Hab.

2, 4. *Justus ex fide ejus vivet.*

26. 7. Evangelium, quâ per afflictiones exploratum, ac probum compertum, similiter binas habet prædicationes v. 11.

α. Prima est, *Desiderabilia sunt prae auro & auro solido plurimo*: β. altera, & *suavia prae melle & destillatione favi*. Refero hæc ad eandem legem Jehovæ, quatenus, post excidium Hierosolymæ & propagationem Ecclesiæ in mundo, Imperatores Romani, omnem in religione innovationem averfantes & punientes, eam, ut *novam doctrinam, Deorum peregrinorum annuntiatricem*, Act. 17, 18. 19. adeoque ut *pestem*, per quam republ. everteretur, delere ex imperio suo sategerunt. Quæ persecutio evangelii quoniam è propagatione ejus, facta in primis post excidium Hierosolymæ, Matt. 22, 7. 10. profectura erat, ideo Psaltes hunc versum cum priore connectit, dum iisdem *judiciis Jehovæ*, quæ illic ut justa & vera prædicaverat, hic tantum pretium tantamque suavitatem adscribit. Quanquam enim *afflictionum & persecutionum*, propter sermonem evangelii *exortarum* (Matt. 13, 21.) hic nullam faciat mentionem, nihilominus eas dilucidè satis subindicat. Perinde est enim ac si Ecclesiam Christianam, ab Imperatoribus Romanis

manis exagitandam atque affligendam, pretio & suavitate judiciorum Jehovæ, h. e. evangelii soletur; utpote quibus bonorum temporalium jactura & commoditatis corporalis amissio abundè pensetur. q. d. Non est quod multum doleatis seu opum vestrarum ereptionem, seu tranquillitatis vestræ conturbationem, non est quod defleatis aut profundam vestram paupertatem aut summam afflictionum vestrarum amaritudinem, quia judicia Jehovæ abundè vos & ditare possunt & lætificare in mediis malis, quæ ob nomen Christi sustinetis. Quandoquidem hæc desiderabilia sunt prae auro optimo & plurimo, h. e. prae immensis divitiis, & suavia prae melle ac distillatione favi (quæ est mel, instar musti oleique per se fluens, & carens sedimento, quod maximè laudabile est) h. e. prae omnibus illis quæ carni grata ac dulcia esse possunt. Ps. 119, 14. *De via testimoniorum tuorum gaudeo, ut superiorum omnibus opibus, v. 72. Bonum mihi est doctrina oris tui prae millibus auri & argenti, v. 92. Nisi lex tua oblectamentum meum fuisset, tum periissem in afflictione mea, v. 103. Quam suavia sunt palato meo dictum tuum prae melle sunt ori meo, v. 111. Haereditavi testimonia tua in seculum, quia gaudium animi mei sunt.*

27. Etenim divitiæ neminem possunt facere beatum, & caducae sunt ac fugitivæ: quæ autem carni dulcia sunt, ea nec perpetua sunt nec perpetuò oblectant. At judicia Jehovæ

nos & vere divites beatosque faciunt, & vero perpetuoq; gaudio nos perfundunt. Nam qui credit is jam habet vitam æternam, Joh. 3, 36. & bonam partem illam, quæ non auferetur ab eo, Luc. 10, 42. adeoque opes quæ non deficiunt, quia nec corrumpi nec eripi possunt. Luc. 12, 33. Idemque spe, quæ non pudefacit, Rom. 5, 5. & quæ jam salvus factus est, c. 8, 24. gaudet, c. 12, 12. & gaudium ipsius nemo tollit ab ipso. Joh. 16, 23. Nec afflictiones, etiam gravissimæ, veras illas divitias, ac suave gaudium illud, possunt imminuere, tum quia homines bona quidem possunt diripere & vitam adimere, Matth. 10, 28. at potentior illam substantiam & permanentem, quam in cœlis habemus, tollere neutiquam possunt, Hebr. 10, 34. tum quia, sicut redundant perpassiones Christi, ita per Christum redundat etiam consolatio, 2. Cor. 1, 5, quæ perpassiones non tantum temperat, sed etiam superat, quia charitas Dei, in cordibus effusa, efficit ut de ipsa afflictione possimus gloriari, Rom. 5, 3-5. utque in ipsa afflictione possimus superabundare gaudio, 2. Cor. 7, 4. quin exsultare gaudio ineffabili & glorioso, 1. Petr. 1, 8. ac gloriari in spe gloriæ Dei Rom. 5, 2.

28. ¶. Evangelium, quæ data damna digna remuneratione resarciens, binis quoque prædicatis declaratur v. 12.

α. Primum est, *Etiam servus tuus illustratur*
per

per ea. Sensus est, veri fideles, memores dicti illius: *Servus non est major Domino suo*, Matt. 10, 24. Joh. 13, 16. 14, 20. ac persequutionem sustinentes ut Domino suo sint conformes, d. v. 20. cum in morte tum in vita, cum in persequutione tum in gloria, Rom. 8, 17. 29. 30. 2. Tim. 2, 11. 12. non tantum in mediis afflictionibus judiciis tuis ditabuntur & lætificabuntur, sed etiam veritate & justitia judiciorum (quæ, sicut elucescere incipiet ex Judæorum excidio & conservatione Ecclesiæ, ita plenius elucescet ex pessundatione persecutorum Romanorum & Ecclesiæ salute) *excitabuntur & illustrabuntur*. Siquidem verbum זָהַר significat tum excitari, quasi tubæ sonitu, *expergesieri, vigilantem & attentum esse*. Conf. Eccl. 12, 12. Ezech. 3, 20. 21. & 33, 4. 5. 6. tum luce perfundi aut perfusum esse, ἐκλάμψαι, à voce זָהַר, quæ sudum cœlum notat, Ezech. 8, 2. ut adspectus זָהַר, sudi cœli. Quod impletum est tempore Constantini M., cum Jehova altera vice *judicia sua vera & justa esse ostendit, persecutores incredulos, ut injustos, condemnando, & credentes afflictos, ut justos ex fide, ex tantâ morte eripiendo, & quasi è mortuis suscitando ac vivificando*. 2. Cor. 1, 9. 10. (*Justum est enim apud Deum vicissim reddere iis qui affligunt Ecclesiam afflictionem, at illis, qui affliguntur relaxationem*, 2. Thes. 1, 6. 7.) cumque fideles, Domino servientes, Rom. 12, 11. *per veritatem & justitiam illam judiciorum Jehovæ simul excitati sunt,*

sunt, quasi voce tubæ, & luce perfusi. Tunc enim, debellatis extirpatisque tyrannis, excitati quidem sunt, & in spem erecti, fore ut Jehova nunc judicaret populum suum, eumque peniteret propter servos suos Deut. 32, 36. utque distinctionem faceret inter servientem Deo & eum qui ei non serviebat, Mal. 3, 18. secundum promissionem. Jes. 65, 13-15. & Joh. 12, 26. At, imperio Romano in Christianos translato, iidem quasi luce & gloria perfusi sunt, ut non ab similes essent cœlo sũdo ac lucido; quippe Christo jam τῆ οὐρανῶν ὅλη toti terrarum orbi, quem Satanus hæctenus seduxerat, Apoc. 12, 9. solis instar exorto. Confer Dan. 12, 3. Intelligentes, qui prudenter egerint, qui attenderint, עֲרֵקֵי כֹהֵר כֹהֵר לִי לִי luce implebuntur qualis est candentia firmamenti.

29. β. Alterum est, In observandis illis est merces ampla. Εν τῷ φυλάσσειν αὐτὰ ἀνταπόδοσις παρῆ. Quæ est illa ἀνταπόδοσις τῆ κληρονομίας; merces hereditatis, quam Apostolus Col. 3, 22. 24, promittit eis qui Christo Domino servierant dum essent servi hominum. Ubi sensu prophætico (qui in Epistolis Pauli passim sub literaliter delitescit) per servo; illos possunt intelligi Christiani τῷ κυρίῳ δουλεύοντες Domino servientes (d. Rom. 12, 11.) dum adhuc erant servi Imperatorum Romanorum, dominorum ipsorum secundum carnem, non bonorum & æquorum, sed σκολιῶν difficultium, uti est 2. Petr. 2, 18. Quemadmodum per dominos, ob injuriam servis suis illatam injuri-

omn relatueros, Imperatores Romano-gentiles, tempore Constantini M. abolendos. d. Col. 3, 25. Quo sensu quoque *hereditas*, servis illis promissa, est *hereditas filiorum Dei*, *coheredum Christi*, Rom. 8. 7. (quæ & *revelatio filiorum Dei*, ibid. v. 19. & *libertas gloriæ filiorum Dei* v. 21. cluet) *hereditas mundi*, Abrahamo & semini ejus promissa, Rom. 4, 13. *hereditas gentium*, de qua Jer. 3, 19. Jes. 54, 3. 61, 6. 65, 9. &c. eis ætate illa Constantini, ac deinceps, inchoatè saltem, repræsentanda. Hic ea appellatur עקב *merces multa*. עקב (à עקב *calce tenere*, unde עקב *calx*) notat *finem*, *extremum*, *mercedem*, quæ in calce, seu fine, operis datur. Prov. 22, 4. Eadem Gen. 15, 1. audit שכרה הרבה מאד *μισθὸς πολὺς σφόδρα*, quam & Christus persecutionem passis in *cælo*, h. in regno cœlorum, promittit. Matt. 5, 11. 12. Apostolus eam Heb. 10, 35. vocat *μισθαποδοσίαν μεγάλην* *magnam mercedis retributionem*, atque ibid. v. 36. *ἐπαγγελίαν* *promissionem*, quam reportatueros dicit Hebræos ubi *patienti animo voluntati Dei fuerint obsequuti*, h. e. multa fuerint ex voluntate Dei perpeffi. conf. 1. Petr. 3, 17. 4, 19. Act. 14, 22. Quemadmodum & Psaltes hic *mercedem* hanc iis addicit qui *judicia Dei observarint*, h. e. qui, fidem suam suâ charitate comprobantes, & persecutionem infidelium perferentes, patienti animo expectarint incredulorum exitium & credentium salutem. Quanquam neque hic *mercedem*, neque locis prædictis *heredita-*

ditatem futuri sæculi cœlestem , exclusam velim.

30. B. Commendationi legis Jehovæ , seu evangelii , Psaltes nunc deinceps annectit precationem , propter eam (quam prævidebat) ἀνομίαν & ἀποστασίαν defectionem ab ista lege , quæ repræsentationem mercedis illius multæ inchoatam erat consequutura. Quæ precatio spectat partim ad tempora Papatus , partim ad tempora Reformationis.

κ. Papatum considerat vel ut adolescentem vel ut adultum.

α. Papatum adolescentem ob oculos habet, cum dicit, v. 13. *Aberrationes quis intelligat? ab occultis liberum me conserva.* Ubi est confessio & supplicatio.

α. Confessio מִי-יִבִּין שְׁנִיאוֹת , παραπλῴματις τις συνήσει aberrationes quis intelligat? vox שְׁנִיאוֹת (à שָׁנָה vel שָׁגָה errare) propriè significat errores , aberrationes , à vero & recto, facta non recta, peccata per inscitiam & ignorantiam aut inadvertentiam admissa, Lev. 4, 2. 13. 22. 27. Eccles. 5, 5. Gen. 43, 11. Hic autem ea intelligenda est de erroribus & hæresibus , quæ post restitutam pacem , magnam partem ex voluntario neglectu verbi Dei, adeoque ex inscitia seu ignorantia inexcusabili orta , summa sæpè cum pertinacia defendebantur. Cujusmodi erant errores atque hæreses Meletii, Arrii, Donati, Macedonii, Photini , Aëtii , Eunomii , Luciferi , Apollinaris,

naris, Priscilliani, Nestorii, Eutychis, Pelagii &c. In quos etiam multi, alioqui non mali, per imprudentiam abripiebantur. Nimirum ex quo Christus, mundi hæres, agrum suum, mundum, bono semine consererat, inimicus ipsius Diabolus, è vestigio, dormitantibus hominibus, h. e. servis Domini, quos vigilare oportuerat, somniculose agentibus, zizania sevit inter triticum, h. e. multos homines excivit, qui, præjudicatis philosophorum ethnicorum opinionibus adhuc imbuti, quosvis errores temerè proponebant & invehebant in Ecclesiam Matt. 13, 24. 25. 18, 8. Ut temporibus illis dicendum esset fidelibus, *Aberrationes quis intelligat?* q. d. Quis enumerare possit multiplices errores qui per ignorantiam veritatis & inadvertentiam protruduntur in publicum? 2. quis rectè consideret exorbitationes illas, quis ita circumspectus ut sibi ab omni errore caveat, nec sæpè per imprudentiam, incogitatus & præceps, in errorem detur? 3. quis dignè & uti par est æstimet errores illos, eos considerans tanquam effectus & machinationes Diaboli, apostasiam introducere in Ecclesiam fatagentis. d. Matt. 13, 27. 28 ac tanquam fundamenta apostasias quam ipse moliebatur? 2. Thef. 2, 3.

31. b. Supplicatio. *Ab occultis liberum, vel immunem, me presta Domine* מְנַחֲמֵנוּ נְקִי מִלְּפָנֶיךָ, LXX. ἐκ τῶν κρυφίων με καθάρσον με, alienè. Digtum intendit Psalter ad τὸ μυστήριον τῆς ἀνομίας my-

mysterium defectionis à lege, quod tunc præsertim operabatur. 2. Thef. 2, 7. Nam & *μυστήριον* derivatur à verbo סתר, unde סתור *latibulum*, quod absconditum occultumque est. Jer. 49, 10. *Mysterium* autem istud erat *ἐπαγγελία τῆς ἀνόμου*. Ex legis istius exaltatio aut sublatio in altum d. 2. Th. 2, 4. Quod erat *offendiculum* illud per hominem illum, Papam Romanum, venturum in mundum, Matt. 18, 7. nempe offendiculum elationis sui ipsius & contemptus parvorum, qui in Christum credebant, v. 10. & peccatum illud fratris, animum adversus omnem *ἐλεγχὸν* obfirmantis, habendique pro ethnico & publicano. ibid. v. 15-17. Quæ elatio hominis istius supra fratres, eorumque in servitutem redactio, *mysterium*, seu res occulta, vocatur, quoniam ille tectis viis nitebatur in altum, ambitionem suam tegens specie tuitionis orthodoxæ veritatis & damnationis hæresium, ut plerique hac fraude circumventi callidum ejus consilium non animadverterent, quod nihil mali de eo suspicarentur. Ab his occultis precantur fideles ut ipsos immunes & liberos, non tam pronuntiaret, quàm conservaret, ne ipsi forte iis accederent qui ejus exaltationi inscii imprudentesque viam sternebant, ei quasi dicentes: Tu sede hic pulchrè, Jacob. 2, 3. aut conspirarent cum mulieribus illis quæ attollebant Epham, in quâ confidebat Improbitas, eamque evehebant *εἰς τὸ μέσσημα* inter cælum & terram, pontificem Romanum, Ecclesiæ bonis subnixum,

vum, promoventes ad summam auctoritatem, ut haberetur pro mediatore inter Deum & homines Zach. 5, 8. 9.

32. β. Ad adultam Papatus ætatem, ejusve ἀκμὴν *vigorem*, prospectat V. 14. p. 2. dicens, *Etiā à protervis compare servum tuum, ne dominantur in me: LXX ἀπὸ ἀποστρίων φείσασα τὴ δάλα σα, εἰάν μὴ με κατακυριεύσωσι.* Psaltes, Ecclesiam fidelium, sub jugo Papatus ingemiscientium, repræsentans, hic pergit inclamare Dominum: *Etiā à protervis*, insolentibus, ferocibus, superbis, ὑπερηφάνοις, *compare*, reconde, conserva (ut Job 21, 30. *Ad diem calamitatis ἡσπὶ comparetur*, reconditur, asservatur, ne quid noxæ patiatur) *servum tuum*; non Antichristi aut Satellitum ejus. Coccejus hic dicit ἡσπὶ alias de persona dicitur, sed hic ex ἀκολυθία & re ipsa apparet Psalten loqui de factis. Et sic Jun. & Trem. *A contumaciis subtrahere servum tuum.* Sic Belgæ *Houdt uwen Knecht ook te rugge van trotsheden.* Verum opinor dicere mihi jure licere, ex ἀκολυθία Ἔ re ipsa apparere Psalten hic loqui, non tam de factis, (quæ tamen non eximo) quàm de personis, & quidem de dominis ἀποστρίοις alienis, qui, præter Jehovam, fidelibus erant dominaturi, Jes. 26, 13. ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλησῶν ut *dominantes clericis.* 1. Petr. 5, 3. Nimirum Antichristus ejusq; satellites passim appellantur ἡσπὶ *protervi*, insolentes, superbi, ut Ps. 86, 14. *O Deus, ἡσπὶ protervi insurrexerunt contra me, Ἔ cætus vio-*

*lentorum quaesiverunt animam meam, & non posuerunt te antè oculos, & Ps. 119, 21. 51. 69. 78. 85. 122. Jer. 13, 11. Quemadmodum etiam Babyloni adscribitur זרין וּמַעַרְפָּא-
 via superbia, Jer. 50, 31. 32. ubi etiam v. 29. de eadem dicitur אַל יְהוָה זָרָה ferociter egit contra
 Jehovam. Itaque Deut. 18, 20. הַנְּבִיאָה Propheta iste, qui post adventum Prophetae illius loquutus
 erat verba Dei, h. e. Christi (Conf. Joh. 3, 34.) surrecturus erat & loquutus in nomine Jehovae
 quod non praeceperat ei Jehova eloqui, h. e. Antichristus, (Conf. Joh. 5, 43.) disertè hac notà
 insignitur quod זרין superbe arrogaret sibi eloqui tale verbum, quodque illud eloquutus
 sit בזרין per superbiam v. 22. Fideles autem Deum implorant 1. ut ab his, simul ab eorum nequitiis,
 conserventur, ne ipsis noceant, vel ut, quamvis illi ipsis dominantur, non tamen
 ipsis dominetur omnis eorum iniquitas. Ps. 119, 132. 2. ut non semper ipsis dominantur,
 seu ut ab imperio eorum tandem liberentur. Ita enim accipio verba אַל יִמְשְׁלוּ בִּי ne in me
 perpetuò dominantur, ne mihi praevalent, quia videlicet promisisti portas sepulchri Ecclesiae non
 prevalituras, Matt. 16, 18. virgam improbitatis non quieturam super sortem justorum, Ps. 125, 3.
 quin rectos dominaturos in eos, qui confidunt copiis suis & in amplitudine divitiarum suarum
 gloriantur, matutinò reformationis. Ps. 49, 15. Quem sensum postulare quoque sequentia
 videntur.*

2. Reformationem contemplatur quoad initium, progressum, & consummationem.

α. Initium Reformationis concernit, quod addit d. v. 14. *Tunc integer ero & mundus ero à defectione multa.* Sensus est, quando protervi illi non amplius dominabuntur in me, cum me redemeris ab illorum potestate, tunc ero integer. Ut precatio hæc coincidat cum illâ Pf. 119, 133. *Redime me ab oppensione hominis, & custodiam præcepta tua.* Patet hæc pertinere ad tempus Reformationis, dominationi superborum successuræ. Itaque quod dicit fidelium cœtus, ejusve nomine Psaltes **תָּכִן יִנְיָ** *tunc integer ero*, LXX. *τότε ἄνωμῳ ἔσομαι*, spectat ad emendationem doctrinæ & morum, ad normam integritatis, seu fidei & charitatis Apostolicæ, quantum pote, exigendam: quodque subjungit, **כִּי יִשָּׁפֵט מִפְּשָׁעֵי מִצְרַיִם**, *καθαροθήσομαι ἀπὸ ἀμαρτίας μεγάλης*, *mundus ero à defectione multa*, est votum futuræ eo tempore abdicationis & ejurationis *ἀποστασίας καὶ ἀνομίας defectionis Pontificiæ à Domino & à lege Domini.* Nam **יִשָּׁפֵט** proprie est *defectio* à domino suo: & qui, spretâ domini sui in se potestate, se in libertatem adserit dicitur **יִשָּׁפֵט** *deficere.* 2. Reg. 8, 21. Defectio autem Papatus a Domino & lege ejus multa erat, quippe multo tempore, multis modis, & à multis peracta. Quare Jacobus dicit c. 5, 20. *Qui averterit peccatorem ab errore viæ suæ, ab erroribus Papatus, salvabit animam ejus à morte, & operiet* **πλήθῶς ἀμαρτιῶν,**

πῶν, multitudinem peccatorum, quo ille se oneraverat sub auspiciis hominis illius peccati. Hujus autem defectionis ipsi fideles se reos fecerant antè reformationem, ab eo reatu purgandi, liberandi, seu liberi, immunes, futuri (nam יק' notat non reum, culpa vacantem, liberum, Gen. 24, 41. 44, 10.) ubi è servitute dominorum illorum asserti essent in libertatem. Quo ego refero istud Joh. 1. Ep. 1, 7. Quod si (post confutatum videlicet illud mendacium eorum qui, sub Papatu, dixerant se communionem cum Deo habere, quanquam in tenebris ambularent v. 6. in luce ambulamus - - - nempe instituta jam Reformatione, sanguis Jesu Christi καθαρίσει ἡμᾶς ἀπὸ πάντων ἁμαρτιῶν purificat nos ab omni peccato, h. e. errore Papatus.

34. β. Ad Reformationis progressum accommodata est hæc oratio; Snt in beneplacitum verba oris mei, & meditatio cordis mei coram te v. 15. Petit hic Ecclesia Reformata יי פ' פ' לרצון אמרי פ' sint in beneplacitum verba oris mei. LXX. ἔσονται εἰς εὐδοκίαν τὰ λόγια τῆς σωματός μου. Ubi פ' פ' אמרי פ' verba oris, perinde ut v. 3. 4. refero ad prædicationem evangelii. Quæ ut Deo placeat, illa precatur. Hoc autem fieri non potest, nisi ea ad puritatem sermonis Apostoli sit emendata & planè munda ab omni errore Papatus. Hæc itaque oratio Reformatis apprimè necessaria est, tum quia Ecclesia Reformata, licet emundata à multa prævaricatione, nondum tamen ab omni errore

rore libera est. Quò pertinet illud Apoc. 22,
 11. *Justus magis justificetur, & sanctus adhuc san-*
ctificetur. Sicut enim in Papatu errorum &
 peccatorum diluvium multitudinem profiten-
 tium nomen Christi inundaverat, ita, post-
 equam diluvium illud in Reformatione rese-
 dit, terra magis magisque exsiccauda est donec
 tota exarescat, conf. Gen. 8, 13. 14. h.e. Eccle-
 sia magis magisque expurganda, Ez. 39, 14. 15.
 quoad ea sancta fiat & immaculata. Eph. 5,
 17. Tum quia periculum est ne aliqui cum ca-
 ne revertantur ad suum ipsius vomitum, &
 cum lota sue ad volutabrum cœni. 2. Petr. 2,
 22. Quemadmodum contingere non rarò vi-
 demus ut, qui pollutiones mundi Antichri-
 stiani per cognitionem Domini & Servatoris
 Jesu Christi effugerant, his rursus implicati,
 superentur, secundum Apostoli prælagium
 ibid. v. 20. 2. Eadem petit *ut meditatio cordis sui*
accepta sit coram ipso: Ubi $\text{לבן הלב} \text{ τὴν μελέτην}$
 καρδίας *meditationem cordis* refero ad scripta
 Reformatorem, quibus illi meditationes suas
 & mysteriorum divinorum indagaciones cum
 mundo communicant aut communicare stu-
 dent. Quæ tunc *acceptationi erunt coram Deo,*
 cum, mentem Spiritus S. plenissime asseque-
 ti, eam planissimè demonstrabunt; cumque,
 deprehenso, *torrentem illum deliciarum Dei cu-*
jus altitudo anterioribus temporibus non satis
fuit explorata) tantæ profunditatis esse, ut
transiri non possit, ei innatare & quantum pote,

ex eo enatare, cœperint, Ezech. 47, 5. h. e. cum, benè perspectâ profunditate Scripturæ S., tanquam fluvii limpidi & pellucis ad instar crysalli, Apoc. 22, 1. se profunditatibus Dei, ductu Spiritus S., totos immergent & asfiduam earum indaginem in summis deliciis habebunt.

35. γ. Ad ejusdem consummationem pertinet, annexa ei, compellatio Domini יהוה צורי ונאלי *Jehova, rupes mea, & redemptor meus.* Per quâ Ecclesia Reformata significat 1. se hoc, quod petierat, expectare à *Jehova*, promissa sua omnia tandem impleturo, adeoque & tempore finis excitaturo multos scrutantes per quos cognitio in immensum augeatur. Dan. 12, 4. 2. Promissa Dei omnia non antè impletum iri quàm ipse se Ecclesiæ præstiterit *rupem*, ad quam confugiat, & in quâ se abscondat, Ps. 27, 5. 31, 3. 62, 3. 8. in afflictione illa magna quæ eam ultimo tempore manet, Jes. 26, 20. quæque ei hanc vocem exprimet, *Defecit caro mea & cor meum: rupes cordis mei & pars mea est Deus in seculum.* Ps. 73, 26. q. d. Ad tantam redacta sum angustiam ut vires corporis & animæ exhaustæ sint: in quâ tamen ad Deum, tanquam *rupem salutis meæ confugio*, & in ipsum fiducia cordis mei recumbo. 3. Ipsum, ceu vindicem Ecclesiæ (quo nullus est propinquior, nullus potentior, ut non sit dicturus, *est vindex propinquior me, nedum non possum vindicare*, vid. Ruth. 3, 12. 4, 6.) eam er-
ptu.

pturum ex summâ illâ angustia & vindicaturum ab omnibus hostibus suis, quin & comparaturum promissam ei, sed alienatam, mundi possessionem, Apoc. 21, 7. eamque ducturum in uxorem. c. 19, 7. 9. Ruth. 4, 9.



II.

SPICILEGIUM

Ad

PSALMUM XIX.

Ejusque præcedentem commentarium

Authore

F. A. LAMPE.

SUMMARIUM.

- §. 1. 2. Stabilitur sententia de sensu allegorico & mystico pericopæ prioris. §. 3. per testimonium cælorum ad publicationem legis Jehovæ in monte Sinai alluditur. §. 4. Opus manuum Dei est ipsum redemptionis opus. §. 5. Nova versio commatis quarti proponitur. §. 6. *ip* non notat literam, sed amussim, regulam, quod commune legum emblema est. §. 7. Cur Apostolus τὰς ὁ secutus vocem hanc per φθόγγος reddiderit. §. 8. Judæis symbolum solis de Messia frequens est. §. 9. 10. Evincitur descriptionem ejus a Psalte institutam neque cum systemate Ptolomæi, neque cum Coperniciano conciliari facile posse. §. 11. Alluditur

quidem ad quasdam Solis proprietates, sed ita tamen ut mens altius ad solem iustitiæ extolleretur. §. 12. Cur emblemata *Solis, Sponsi & Herois* conjungantur? §. 13. Vestigia hujus systematis in scriptoribus profanis. §. 14. Emphatice Soli *tentorium* adscribitur: §. 15. Et quidem in *cælis* positum. §. 16. Cur tentorium hoc statim *thalamus* dicatur? §. 17. Nova encomii Legis Evangelicæ datur analysis.

Ad §. 2.

§. I.

EXceptio Cl. TILLII, quam ab HAMMONDO & HEINSIO mutuatus est, facile perit, quia sæpiuscule *indicium allegationis* deest in locorum ex V.T. citatione, licet secundum scopum Spiritus S. adducantur. Exemplo sint cantica Mariæ & Zachariæ Luc. I. benedictio Simeonis Luc. II. Rom. IX. 19. 20. 21. I. Cor. XV. 25. Gal. III. 11. quin ipsius hujus ad Romanos capitis X. comma 13. Ad Cl. SURENHUSIUM de formul. allegandi script. Thes. XXXVI. Nec tamen vel unus ex iis dari potest, qui diverso sensu allegatus sit, quam inspiratus erat. Spiritus S. sibi ipsi ubique constat & in his citationibus lucidissimam facem nobis ad intelligendas prophetias V. T. accendit, cui ulla obijcere nebulas religio bono Interpreti esse debet.

In hoc saltem loco absque ulla necessitate contrarium statui patet, ubi scopum citationis Paullinæ ex nexu aliquanto curatius inspe-

spexeris. Apostolus in eo est, ut doceat causam offensionis Judæorum, quæ erat, quod ignorantes justitiam Dei & suam querentes statuminare, justitiæ Dei se non subjecerint v. 3. IGNORANTIAM hanc INEXCUSABILEM esse demonstrat in sequentibus, quia adminicula idonea ad eam tollendam Deus concesserat vs. 4-15. His adminiculis quamplurimos non rituosos esse conqueritur vs. 16. quamvis sufficientia fuerint vs. 17. Quo demonstrato effugium aliquod Judæorum enervare contendit, inde desumptum, quod ad plurimos eorum præconium Evangelii non penetraverit, hisque verbis in persona Judæorum propositum: *Sed dico: num non audiverunt?* Hoc effugium refutat adductis psaltis nostri ex versione communi verbis: *Atqui in omnem terram &c.* Ex quo evidens est, scopum adducti testimonii eum esse, ut malæ fidei convincat Judæorum vitilitigationem, quando excipiunt, *se præconium hoc non audivisse.* Hæc enim exceptio fortissime refutatur, quando monetur, præconium Evangelii longe lateque per totum orbem, secundum prædictionem psaltis, auditum non potuisse non ad omnium Judæorum inter illas gentes dispersorum aures pervenire.

§. II. Huic argumento aliud ex ipso psalmi nexu addi potest. Conceditur enim facile à Viris Doctis, posteriorem ejus pericopam de Lege scripta agere. Et κερτίεα quæ huic Le-

gi adsignantur, talia sunt, ut illam præcise *Legem* seu *Doctrinam* intelligere fas sit, quæ & quatenus sub *Oeconomia* nova publicanda, *Perfectio*, *certitudo*, *claritas*, *vis latificans*, *eternitas*, *suavitas auro* & *melle contra cara*, attributa sunt, quæ in pleniori manifestatione *Evangelii* veram *emphasin* sortiuntur. Ipse psalmus CXIX. pericopæ hujus luculentus est commentarius, in quo tamen haud pauca deprehendas, quæ ad doctrinam N. T. necessario sunt referenda. Ostendant ergo nobis *Viri Docti* in *textu sacro* vel levissimum indicium, ex quo constet, *Psalten* commate octavo ad *subjectum* plane *diversum* transire. Quod quamdiu fieri nequit, *secure*, quæ in *priori psalmi* *temate* de *voce* & *loquela cœlorum* dicuntur, ad *idem subjectum* pertinere censemus, quod deinceps *lex & testimonium Jehovæ* dicitur.

Nec sine authoribus ita sentimus. *Allegoriam* sapit, quando R. BECHAI in *Levit. V.* docet *כִּי הוּא* Ps. XIX. 6: *Ipse est ut sponsus prodiens de Thalamo suo*; esse Deum ipsum. CLEMENS ALEXANDRINUS in *Eclogis prophetis* edit. Potter. p. m. 1001. sq. *paraphrasin mysticam Psalmi*, *crassiori licet Minerva*, *concinnavit*. AUGUSTINUS *psalmum* ad *tempora N. T.* refert. Inter *recentiores* *succenturiantur* ex *Fratribus Lutheranis* *denso agmine* LUTHERUS, BUGENHAGIUS, BRENTIUS, GESNERUS, OSIANDER, CALOVIUS, SCHMIDIUS, alii. Ex *Reformatis*

matris pauci idem sentiunt. Laudare tamen possumus ALTINGIUM in Comment. Ep. ad Rom. & Cl. DRIESSENUM diatriba I. de sensu Script. improprio §. 4.

Ad §. 3.

§. III. Nihil de *cælorum* significato paradoxo, neque quod novitate sua suspectum sit Cl. Authorem statueret vel ex verbis CLEMENSIS ALEXANDRINI liquet, quæ Eclog. Prophet. §. 52. habet: Καλένται δὲ ἕρμενοι κυ-
 εῖως μὲν ὁ Κύριος, ἔπειτα δὲ ἔτι πρωτόκτιστοι, μετ᾽
 ἑς καὶ οἱ ἅγιοι πρὸ νόμου ἀνθρώπων, ὡς οἱ Πατριάρχαι,
 καὶ Μωυσῆς καὶ οἱ Προφῆται. εἶτα καὶ οἱ Ἀπόστολοι.
 i. *Cæli vero vocantur, præcipue quidem Dominus:*
dein autem protoplastæ; post hos ἔ homines sancti
ante Legem, nempe Patriarchæ ἔ Moses atque
Prophetæ: ἔ dein quoque Apostoli. Sed de hoc
 symbolo alias latius agemus. Putem tamen em-
 blema *cælorum* hic non ad solos Apostolos re-
 stringendum, sed ad universam Ecclesiam mi-
 litantem & triumphantem extendendum, uti
 patet ex collato vs. 5. Quando autem cælos
 loquentes Psaltes facit, alludere potuit ad cæ-
 li fragores vocemque ex eo in Sinai auditam.
 Illic enim non tantum Deus *locutus esse e cælis*
 dicitur Exod. XX. 22. Deut. IV. 36. Neh. IX.
 13. sed cælum quoque ipsum quasi apertum,
 fulgurans, tonans, Legem formato in aere
 sono ad aures Israelitarum perferens, loqui
 magnalia Dei videbatur. Hinc Mosi ansa est
 subnata ad testimonium *cælorum* provocandi
 Deut.

Deut XXX. 19. XXXI. 28. XXXII. 1. Et quando Ps. LXXXIX. 6. cœli dicuntur *celebrare Deum*, aut Ps. XCVII. 6. *annuntiare ejus justitiam*, in contextu varia ccurrunt, quæ ad manifestationem Domini gloriosam in monte Sinai respici evincunt. Hanc autem *cœlorum commotionem*, voces, tonitrua, præludium fuisse motuum spiritualium in regno Messiaë & præcipue per prædicationem Evangelii producendorum, magis notum est, quam ut probare necesse sit. In nostro autem loco ad eandem augustissimam in Sinai *Φαρέγγωσι* collinari sequentia itidem probant. Id quod eo magis proclive est cogitatu, quia per totum ferme psalmum excellentia Legis Jehovæ ejusque publicatio Legi Sinaiticæ ejusque publicationi opponitur. Quanta ex hac observatiuncula psalmo nostro lux affundatur sequentia ostendent.

Ad §. 5.

§. IV. Liceat mihi hic paulisper dissentire. Per *opus manuum Dei* duo possunt designari, sive *objectum*, circa quod manus Dei versatur, sive *actus ipse*. Priori sensu *opus manuum Dei* ipsa est Ecclesia, ejusque membra. Atque hoc arrisit Authori, cujus locis citatis addi possunt Ps. VIII. 7. CII. 26. Sed obstat, quod *ita firmamentum & opus manuum Dei* sint synonyma, id quod sensum incommodum fundit. Commodior esset, si cum SOCINO verteres: *Et opus manuum ejus (nempe) firmam-*
m:n-

mentum indicat sc. gloriam Dei. Verum situs naturalis verborum hanc quoque versionem respuit. Malim ergo per *opus manuum Dei* intelligere ipsum Dei circa Ecclesiam actum, sive ipsum illud *redemptionis opus*, quo regnum Dei in Ecclesia fundatur, erigitur, stabilitur, conservatur. Hoc sensu phrasis obvia est Ps. XCII, 5. CXI. 7. CXLIII. 5. Hoc opus opponitur *operibus manuum hominis* Ps. XXVIII. 4. 5. Rationes autem, cur opus redemptionis καὶ ἐξοχὴν ita dicatur, sunt 1.) quia opus est Deo primum exclusis omnibus angelis & hominibus: 2.) quia est antitypus operis creationis: 3.) quia perfectiones divinæ in eo lucidissime sunt demonstratæ, & præcipue illæ, quæ solent sub emblemate *manuum Dei* proponi, cum primis potentia, sapientia & fidelitas ejus.

Ad §. 8.

§. V. Ingeniosa est hæc Cl. Authoris observatio, eique peculiaris. Labet tamen adjicere, quæ aliquando ad hunc locum calamo consignavi. Variæ ejus reperiuntur versiones. Potissimas recenset & examinat Celeb. VITRINGA Obs. Sacr. III. 24. Plerisque cum Lutherò convenit: *Non est sermo, neque sunt verba, ubi non est audita vox eorum.* Sed recte docuit VITRINGA, insolens esse, ut linguæ & dialecti dicantur אמר & דברים quod tamen hæc versio supponit. Accedit, quod secundum hanc opinionem idem videatur commate quinto repeti, quod hic jam dictum erat.

Quare

Quare si versio idonea dari possit, quæ hoc incommodum evitet, illam ego oppido præferendam duxerim. Talis est ea, quam ipse V. Cl. addit: *Non est dictum, & non sunt sermones, quorum non auditur vox.* Ita sane omnis hiatus in textu tollitur & sensus dives funditur. Unum tamen moram injicit. Fors nodum in scirpo quæro. Proferam tamen. Relativum in *וְלִי* vox eorum lubentius ad cælos & expansim, quam ad dictum & sermones retulerim. Ratio est, quia & relativa sequentis commatis eodem spectant. Minus quoque elegans esset prosopopœia, si dicto & sermonibus, qui vocem supponunt, qua prolati sunt, vox tribueretur. Levissima ergo immutatione reddiderim: *nullum est dictum & nulli sunt sermones, (de quibus) non auditur vox eorum sc. cælorum.* Insertæ in hanc versionem voculæ *de quibus* non arguunt ellipsin. Hebræorum enim *וְלִי* pronomen relativum in constructione frequenter includit. Inspiciantur 2. Sam. I. 13. Hof. VII. 8. Agnovere id SEPTUAGINTA, & VULGATA. Priores habent: *Ουκ εἰσὶ λαλιαὶ, ἔδὲ λόγοι, ὧν ἔχῃ ἀκρόνται αἱ φωναὶ αὐτῶν.* Posterior: *Non sunt loquela neq; sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Repetitionem hanc relativorum Vir Venerandus superfluum esse ducit. Ex nostra autem hypothesi necessaria erat, ut sensum funderet emphaticum & a commate sequenti diversum.

Scilicet אמר dictum in nostra gnome mihi idem significat, quod אמרה versus præcedentis, doctrinam scilicet gratiæ, & præcipue promissâ, quæ in ea continentur, quo sensu vocem אמר sumi exempla docent Ps. 78, 12. LXXVII. 9. Hab. III. 9. Quare רברים, sermones seu verba, exprimere possunt præcepta fœderis gratiæ. Sane דבר est præceptum 1. Chron. XVI. 15. Ps. CV. 8. CXLVII. 19. Prov. 13, 13. Hinc Decalogus dicitur decem verba Exod. XXXIV. 28. De his omnibus auditur vox cœlorum; atque ita Psalter docere vult, quam late doctrina Evangelii pateat, & quomodo omnia ex ea percipiantur, quæ a primis mundi cunabulis sub tegmine umbrarum & ænigmatum delituere, quæque ad celebrandum Deum & ad perficiendam propriam salutem necesse duxit Dominus, mortalibus revelare. Quod ipsum est, quod Ps. CXIX. 96. exprimitur: *latum valde est præceptum tuum*: ubi vox רהבה, de amplitudine maris adhibita Ps. CIV. 25. innuit profundissimam verbi divini esse opulentiam, atque inexhaustum reconditarum illic veritatum Oceanum. Et aut fallor, aut iterum hic Psalter retrospicit ad vocem e cœlis in monte Sinai auditam. Illa intercedente Israelitarum terrore interrupta est, & post pronuntiatum Decalogum cessavit. Vox vero cœlorum Evangelica omnia regni cœlorum mysteria edisserit.

§. VI. Vox \wp proprie *funem mensorium* designat, seu *amussim*, qua architecti, geometræ & opifices utuntur. Inspici possunt Jes. XXXIV. 17. Jerem. XXXI. 38. Thren. II. 8. 2. Paral. IV. 2. Ezech. XLVII. 3. Zach. I. 16. &c. Et nescio an usquam *literam* notet. A communi ergo notione difficulter recesserim. Sed quid illud: *Regula cœlorum*? Cl. SCHMIDIUS, proprium magis vocis usum sequens, respici putat ad effectum prædicationis Evangelicæ, quia per eam *funis* quasi toto orbiterarum immisus est, tanquam *hereditati* a Messia occupatæ & populo ejus *divise*, ad instar Canaanis inter tribus Israelis a Josua distributæ. Cui significatui non male respondet verbum אֵי , *Exiit*, quod de ejusmodi divisione & adsignatione terræ hæreditariæ usurpari solet Jos. XV. 2. 3. Sensus hic est elegans & ALTINGIO quoque probatus in Schilo lib. IV. c. 30. Locupletior tamen & nexui magis conveniens videtur, si altius penetrans *regulam* intelligas metaphorice dictam, quod consuetum symbolum est doctrinæ, quæ in normam vitæ fideivæ est constituta. Hunc significatum ipse a Cl. Authore adductus locus Jes. XXVIII. 10. permittit. כֶּיֶלֶם quoque pro \wp habet AQUILA hoc loco, uti & Job. XXXVIII. 5. Et *linea*, \wp , in manu mensurantis Ezech. XLVII. 3. procul dubio symbolum est verbi divini, æque ac *calamus mensorius*
Ezech.

Ezech. XL. 3. Apoc. XI. 1. XXI. 15. Specia-
 tim de doctrina Messiaë agitur Jes. XXVIII. 17.
 ubi illi canoni cathedræ Mosis, de quo vs. 10.
 actum erat, tanquam regula firmior & san-
 ctior opponitur: *Et ponam iudicium ꝑꝑ,*
in lineam & iustitiam in perpendicularum.
 Hæc enim doctrina est perfecta & constans
 omnium credendorum atque agendorum
amissis, cui nihil neque addere, neque deme-
 re licet, secundum quam spirituale iudicium
 in Ecclesia habetur, salutaris veritas a perni-
 ciosis erroribus, genuini confessores a spu-
 riis discriminantur. Apud prophanos quoque
 authores usu tritum est, ut sive præscriptum
 rectæ rationis, sive præcepta Philosopho-
 rum, sive exempla spectatæ probitatis *cano-*
nem, amissim, regulam nominaverint. Ad
 CORN. ADAMI Observ. Theol. Philol. p.
 400. 401. Cujus citatis locis addo EURIPI-
 DEM Electr. Prologo, ubi de sinistro actio-
 num interprete poëta ait:

Γνώμης πονηροῖς κανόσιν ἀναμετρήμεν
 Τὸ σῶφρον, ἴσω κ' αὐτὸς αὖ τοιῆτος ὢν.

i. *Is noverit se prava mentis regula
 Metiri continentiam, ipsumque se desipere.*

ARISTOTELES itidem legem Polit. lib. II. c.
 8. nominat κανόνα τῆς πολιτείας. In promptu quo-
 que est secundum hanc interpretationem ꝑꝑ
cælorum a *ὀρθῶν* seu *dictis eorum* discernere.

Class. II. Fasc. V.

H h h

Quid

Quid enim impedit, quo minus prius ad doctrinam ipso Christi ore in diebus carnis ejus per omnes terræ Canaanis fines prædicatam, posterius ad conciones Apostolorum, hunc canonem commentantes & explanantes liceat referre?

§. VII. Videtur quidem nostræ interpretationi obesse versio septuaginta viralis, præcipue Apostoli autoritate suffulta, quæ ἵπ per φθόγγον vertit. Sed difficultas hæc non tanti est, ut remoram nobis injiciat. Neque tamen putamus opus esse, ut cum plerisque statuamus, variante lectione locum nostrum laborasse, & Græcos non ἵπ sed ὀἵπ legisse. Præstat nodum solvere, quam secare. Tentavit id, & docte, Cl. Pocokius Not. Miscell. ad portam Moysis cap. IV. apud Arabes radicem كىپ deprehendens, quæ clamare, vociferari notat, atque ita τῷ φθέγγεσθαι aliquatenus respondere videtur. Sed infuetum cum sit Græcis, per φθόγγον absque additamento grandiore aliquem sonum indigitare, quid nobis inciderit, profari lubet. φθόγγον secundum usum maxime receptum vox est *technica*, ad *Musicam* pertinens, sonosque illos primos ac simplices designans ex quorum apta compositione omnis harmonia concinnatur. ARISTOXENUS Harmonic. Element. lib. I. edit. Meibom. p. 15: φωνῆς πλῶσις ἐπὶ μίαν τῶσιν, ὁ φθόγγον. τότε γὰρ φαίνεται φθόγγον εἶναι πᾶν, ὅτις εἰς μέλον τὰτεσθαι ἡρμωσμένον, ὅταν

ὅταν ἡ Φωνὴ Φανῆ ἐπίνοι ἐπὶ μιᾶς τάσεως. ὁ μὲν δὲ
 φθόγγος τοιαύτος ἐστὶ. i. Sonus est vocis casus in
 unam tensionem. Tunc enim sonus ejusmodi esse vi-
 detur, ut in cantum modulate constitutum collocari
 possit, cum vox in una tensione stare videtur. At-
 que hujusmodi est sonus. EUCLIDES initio in-
 troducitur. Harmon. φθόγγος μὲν δὲν ἐστὶ Φωνῆς
 πῶσις ἐμμελῆς ἐπὶ μιᾶν τάσιν. i. Sonus est vocis ca-
 sus, cantui aptus in unam intensionem. Et passim
 apud alios similia inveniuntur. Inspici hic
 meretur STEPHANUS in Lexico voce φθόγγ-
 γος. Usum hunc technicum vocis nostræ
 retinuit Apostolus 1. Cor. XIV. 7. Atque ex
 hoc usu bene considerato expeditu facile est,
 tum cur οἱ ὁ ἱρ per φθόγγος verterint, tum cur
 Apostolus eorum versionem retinuerit. Prio-
 res ex male intellecto pericopæ totius scopo
 eo inductos esse crediderim: præcipue cum
 simul imbuti essent præjudicio philosophorum
 & poetarum veterum, qui Chaldæorum &
 Pythagoræorum prementes vestigia, nescio
 quam planetarum & orbium cœlestium har-
 moniam sibi finxere, de qua apud MACRO-
 BIUM, PROCLUM, PTOLEMÆUM, MAR-
 TIANUM CAPELLAM, atque alios quam-
 plurima leguntur. Cum igitur putarent psal-
 ten de cœlis elementaribus agere & plus semel
 in more habeant Græcorum scholis suam ac-
 commodare versionem, sonos illos harmoni-
 cos cœlestes non putarunt plane esse omit-
 tendos. Id quod hic eo magis proclive est

cogitatu, quia eadem figmenta in Cabbalam
 Judæorum & Hellenistarum scholam trans-
 fluxere. Cujus rei vestigia haud pauca apud
 PHILONEM deprehendimus. Ita inter alia
 de opific. mundi p. m. 11. ὑπὸ γὰρ φωτὸς ἀνο-
 πεμφθεῖσα ἡ ὄρασις, καὶ κατὰ δὲ φύσιν ἀσέρον,
 καὶ κίνησιν αὐτῶν ENARMONION, ἀπλανῶν τε
 καὶ πλανήτων εὖ διαπιταγμέναις περιφοραῖς, τῶν μὲν
 κατὰ ταῦτα καὶ ὡσαύτως περιπολούντων, τῶν δ' ἀνο-
 μοίως τὲ καὶ ὑπεραντίως διτλαῖς περιόδοις χρωμένων
 ΧΟΡΕΙΑΣ τὲ πάντων ΕΜΜΕΛΕΙΣ, νόμοις τῆς
 ΜΟΥΣΙΚΗΣ πλείας διακεκοσμημέναις, ἀλεκλον ἐμ-
 παρέχει τῇ ψυχῇ τέρψιν τὲ καὶ ἡδονήν. i. *Visus enim*
a luce subductus in superna, considerataque natura
stellarum & motu eorum HARMONICO, tum fi-
xarum ac erraticarum stas circuitibus, dum ille
eodem semper modo circumferuntur, hæc vero dissi-
militer & in contrarium duplici cursu utuntur: ad
hæc CHOREA universarum MODULATA & ad
MUSICÆ leges pulchre conveniente, ineffabilem
delectationem, voluptatemque in animo excitat.
 Apostolus vero in citatione Græcæ versionis
 non necessum duxit hoc corrigere, quia sane
 Φθόγγοι seu soni simplices id sunt in Musica,
 quod *linea* in Geometria & *regula* in Archite-
 ctura. Ad eos enim omnes compositiones
 harmonicæ exigendæ, reducendæ atque pro-
 bandæ sunt. Unde apte possunt adumbrare
 illa doctrinæ Christianæ elementa, quæ ab
 ipso Salvatore sunt proposita, & quæ non fi-
 ctitie sed vere ad omnium, qua patet orbis,
 aures

aures pertingere debuere. Accedebat, quod in monte Sinai, *κένων* ille perfectissimus fœderis gratiæ per Decalogum datus, *φθόγγω* seu sono in nubibus excitato, publice pronuntiatus esset.

Ad §. 14. sq.

§. VIII. Addatur his locis Jes. IX. 1. ubi Messias dicitur *אור גדול* i. *lumen magnum*, qua phrasi Sol circumscribitur. Ipsi Judæi id fatentur in *Rabboth* edit. Amstel. f. 149. col. 1. *א"ל לא אלא עד בא השמש עד שיבא משיח* i. *dixerunt ei, non, nisi dum venerit Sol, id est dum venerit Messias, sicut dicitur: Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiae.* Similiter R. MOSES HADDARSCHAN in Bereschit Rabba super Gen. XXX. 16: *תזרח שמשו של מלך המשיח כדכתיב וכאור בקר יזרח שמשו* i. *Orietur Sol, Regis Messie, sicut scriptum est: (2. Sam. XXIII. 4.) Et sicut lux mane orietur Sol.* Et PHILONI quoque aliquid suboluit, quando libro de somniis p. m. 578. *Solem* interpretatur *τὸν θεῖον λόγον, τὸ τῶ καὶ ἕρπονὸν περιπολῶντος παρὰ δειγμῶ* i. *Sermonem divinum, imaginem illius, qui in cœlis habitat.* Illustrarunt hoc emblema St. LE MOYNE ad Jerem. XXIII. p. 44. sqq. & p. 242. sq. SUICERUS Lexic. Eccl. in *ἥλιος*. SAL. VAN TILL ad Malach. IV. 2. DEYLINGIUS Observ. III. 24. & uberrime lingua sibi vernacula Viri doctissimi atque amicissimi

cissimi D' OUTREINIUS Embl. Sacr. T. I. p. 203. sqq. & EVERSDIKIUS de gloria Messiae T. II. p. 166. sqq.

§. IX. Prædicata autem quæ Soli hic a Psalte dantur, ita sunt composita, ut secundum literam ex nullo systemate mundi, sive PTOLEMÆUM, sive COPERNICUM pro duce eligas, plene explicari possint. Qui PTOLEMÆI aut TYCHONIS BRAHE hypotheses sequuntur, difficultatibus majoribus hic implicantur. Inveniunt quidem aliquid, quod favere ipsis videtur, dum motus Solis rapidissimus per *cursum* a Psalte expressus esse statuitur. Sed non sufficit, unam alteramve phrasin eo referri posse, nisi omnes exhauriantur. Respondeant ergo Tychonici ex suo conceptu ad has difficultates. 1. Quomodo Soli possit *tentorium* & *thalamus* tribui, ubi quiescat, & ex quo prodeat, cum perennem, æquabilemque motum in eo agnoscant? 2. Quomodo affectus *letitiæ* Soli competat? 3. Quomodo dici possit, *exortus ejus ab extremitate cœlorum*, & *revolutio ejus ad extremitates eorum*? cum secundum Astronomiam vulgarem circulus Solis inter circulum Martis & Veneris sit interpositus, qui circulus & valde mediocris & ab extremitatibus cœlorum quam longissime distans est? Unde nunquam extra horum Planetarum terminos digreditur, multo minus ad extremos Systematis planetarii limites pertingit. Quare velint, nolint, ad
popu-

popularem Scripturæ sacre stylum recurrere necessum habent, & frustra sunt, quando hac hypothesi, tanquam sapientiæ Spiritus sancti minus congrua, Copernicianum systema gravare atque odiosum reddere tentant.

§. X. Neque tamen recentioribus Astro-
nomis in explicando loco nostro multum li-
cuit esse felicioribus. Fas est, ut fateamur,
quædam ab iis magis ad rhombum proferri.
Cum enim semper in eodem loco, in centro
scilicet vorticis sui, subsistere Solem credant,
non male ei posset aliquid simile *tentorio* tribui.
Sponso vero comparari ajunt, quia ignea vis
Solis tanquam vis masculina considerari pot-
est, in comparatione ad Planetas, qui calore
Solis quasi imprægnantur. Id quod veterum
quoque Philosophorum placitis convenit, qui
ex igne & aqua ita nata esse omnia credidere,
ut igni vim masculinam, activam atque fœ-
cundantem, aquæ vero vim fœmininam, pas-
sivamque tribuerent. Quorum sententiam
Lactantius exprimit & sequitur divin. instit. lib.
II. c. 9. de igne & aqua agens: *Alterum*
enim quasi masculinum elementum est, alterum quasi
fœmininum; alterum activum, alterum patibile.
Ideoque a veteribus institutum est, ut sacramento ignis
& aquæ nuptiarum fœdera sanciantur, quod fœtus
animantium calore & humore corporentur atque ani-
mentur ad vitam. Porro nec de pernici cursu
Solis admodum solliciti sunt, cum statuunt So-
lem perenni motu circa suum centrum volvi.

Addunt *Solis* vocem duplici sensu in sacris pa-
 ginis sumi non tantum pro corpore sed etiam
 pro radiis & effluviis *Solis*, quam in rem citant
 Ex. XII. 16. Jud. ult. 1. Sam. XI. 9. 2. Sam. XII. 11. 12.
 Nehem. VII. 3. Job. XXX. 28. Ps. CXXI. 6.
 Eccles. VI. 5. VII. 12. Ezech. XXXII. 7. Jon.
 IV. 8. Hæc autem *Solis* effluvia perniciosissime
 moveri constat. Nec tamen ita res confecta
 est. Restat *Viris* hanc *איִשֵׁר* profitentibus
 explanandum 1) Quidnam per *tentorium* &
thalamum *Solis*, in quo aliquando tectus sit,
 & ex quo *prodeat*, præcise sit intelligendum?
 2) An *Sol* eorum ita animatus sit, ut *letitie*
capax esse queat? 3) An non *Sol* potius *ma-*
rito quam *sponso* fuisset conferendus, si scriptu-
 ra *fœcundantem* ejus vim exprimere voluif-
 set? 4) Quomodo radiis solaribus motus *cir-*
cularis possit tribui, cum certum sit, eos in
 recta linea progredi? 5) Quomodo calor *So-*
lis ad extremitates cœlorum pertingat. Nam
 quod excipitur, per unam *extremitatem cen-*
trum universi designari, per cœteras *periphe-*
riam, istud non tantum per se alienius esse ap-
 paret, sed etiam pugnat cum signatione vocis
הקופה, quæ cum ter solum in sacris occurrat,
 extra nostrum locum, bis de revolutione an-
 nua Exod. XXXIV. 22. 2. Paral. XXIV. 23.
 & semel de revolutione diurna 1. Sam. I. 20.
 notante ad h. l. *Geiero* usurpatur. Quid igitur?
 An dicendum, Spiritum Sanctum secundum
 captum vulgi loqui? Ne id quidem sentio.
 Non

Non tantum quia id temere de majestate styli
 sacri pronuntiandum haut existimo, sed &
 quia, id si statueretur, Deus in nostro loco
 non tantum secundum communem hominum
 conceptum, sed & secundum aniles fabulas
 nugacissimasque hominum de ima plebe *neni-*
as locutus fuisset, quibus Sol oriens videtur
 quasi ex atro noctis velo evolvi, omnesque
 cœli terminos, qua oculis patet, permeare.
 Et ne sic quidem omnia evoluta essent, quia
 nulla tamen ex hac hypothese constaret ratio,
 cur *Sponso* & *Heroi* comparetur, & *letitia exul-*
tans introducatur, nisi & gentilium deliria de
 suo Apolline & commentum de tripudio So-
 lis in Paschate, similisque furfuris *λῆξες* in con-
 siliium adhiberemus.

§. XI. Nihil idcirco restat, nisi ut statua-
 mus, Spiritum Sanctum alluisse quidem in
 hac pericopa ad diversa *Solis elementaris* attri-
 buta, quibusdam phrasibus, non tamen omni-
 bus, cum scopus ejus non esset Solem crea-
 tum, sed Christum *Solem mysticum* describere.
 Ita enim consuevit Scriptura tum in typis ex
 historia sacra tum in allegoriis ex historia na-
 turali petitis, quamvis certa sint subjecta, a
 quibus quasdam phrasēs mutuantur; cum ta-
 men ea non sufficiant ad vivam mysterii re-
 conditi repræsentationem, pro lubitu alia &
 diversa sæpe immiscere symbola, quæ simul
 juncta plene reconditum sensum exprimere
 possunt. Exemplar evidens hujus moris est

in illis Psalmis, in quibus variæ phrasæ occurrunt, quæ ad regnum Davidis aut Salomonis alludunt, quia hi Israelis Reges illustris Messiaæ typus fuere. Sed multæ tamen aliæ expressiones intermiscuntur, quæ nimis excellentes sunt, quam ut de meris Regibus terrenis explicari queant, adeoque ad Messiam ipsum spectant. Hoc tum ex Psalmo proxime præcedenti XVIII. tum ex sequentibus XX. & XXI. ad oculum patet. Ad eundem modum Psaltes in nostro hymno, cum *Solis justitiæ* excellentiam & felicem progressum ænigmatice describere vellet, quasdam metaphoras a Sole naturali mutuatus est, sed alias tamen pro libertate sua simul interspersit, quæ cum minus commode Soli naturali queant tribui, indicium faciunt, subjectum, quod Psalmus tractat, longe nobilius esse.

§. XII. Neque spernendus nobis videretur, qui sub *triplici* emblemate SOLIS, SPONSI & HEROIS triplex officium Christi mediatorum designatum existimaret. Primum enim, licet latius quoque se extendat, ad *propheticum* potissimum munus, alterum ad *sacerdotale*, tertium ad *regium* refertur. Nam qua SOL lucem præbet, qua SPONSUS summum amorem per victoriam mortis manifestat, qua *HEROS* invictum robur in tuendo grege & debellandis hostibus exserit. Atque hoc convenit quoque ordini a Cl. Authore nostro concepto, quia propheticum Christi munus

ad

ad tempus commorationis ejus in terris spectat, sacerdotalis officii perfectio per resurrectionem & exaltationem demonstrata est, post illam vero, Regio munere ad dextram Dei sedens defungi cœpit.

§. XIII. Fieri autem interea potuit, ut metaphoræ hæc male intellectæ, cum in sacris Israelitarum publicis audirentur, & in ore eorum versarentur, ad gentes permearent, illisque viam sternerent ad varia de Sole figmenta. Sic *domicilium Soli* adscriptum ab Ægyptiis secundum *Macrobium Saturnal. lib. I. c. 21. Ægyptii animal in Zodiaco consecraverunt ea cœli parte, qua maxime annuo cursu Sol valido effervet calore. Leonisque inibi signum domicilium Solis appellant; quia id animal videtur ex natura Solis substantiam deducere.* Nil quoque magis vulgatum, quam Solem sub *Herois* figura exprimere. Inde toties INVICTUS in nummis & inscriptionibus salutatur. MILITIS quoque nomen in Mithriacis sacris nactus est, unde & sub forma armati militis in gemma comparet apud CUPERUM Harpocrat. p. 13. idemque cum Marte & Hercule est. Quin & exultantem in lætitia publica introducit *Claudius de laud. Stilic. I. vs. 84.*

*Tunc ☉ Solis equos, tunc exultasse choreis
Astra ferunt - - -*

Ad §. 14.

§. XIV. Acquiesco in mystica tentorii Solis

δηλω

δὴ λῶσει, quam Cl. *Deusingius* dat. Quum
 tamen nihil magis a natura Solis videtur ab-
 horrere, quam eum splendore suo omnia im-
 plentem angusto includere *tentorio*, origo co-
 agmentationis emblematum tam diversorum
 non videtur negligenda. Ad Sinaiticam Dei
 revelationem hic iterum retrospici existimo.
 Palmarium post publicationem Legis opus
 erat exstructio tentorii conventus. Quo ex-
 structo lucidus ille in columna nubis & ignis
 fulgor in ipsum tentorii adytum transibat. Ab
 illo tempore tabernaculum rite poterat
tentorium Solis dici, non tantum quia ille, cu-
 jus signum inibi comparebat, revera erat Sol
 justitiæ, sed etiam, quia symbolum ipsum So-
 lis splendorem imitabatur atque exprimebat.
 Exod. XL. 34. *Gloria Jehovæ implebat ipsum ta-
 bernaculum.* Gloria vero Jehovæ ipsa erat co-
 lumna nubis & ignis, sive ipse per nubem
 transparens splendor, qui præfigurabat illum,
 qui est ἀπαύγασμα τῆς δόξης Θεῶ Hebr. I. 3. seu
 ἀνατολή ἐξ ὕψους Luc. I. 78. Symbolum sane hoc
 divinitatis cum omnium fuerit illustrissimum
 & forte unicum, quo gloriam Deitatis in
 Christo & redemptorio ejus opere oculis ho-
 minum pictura vividissima exhibere Deus vo-
 luit, ad id identidem recurrendum censeo,
 quotiescunque symbola *lucis* aut *jubaris coruscan-
 tis* aut ipsius *Solis* & similia de Messia usurpantur.
 Ipsi Judæorum Magistri lucem Columnæ cum
 ipsis Solis luce conferunt. Vide id proban-
 tem *Buxtorfium* de arca foed, c. XI. & XIII. Hinc
 sine

sine dubio & Johanni Evangelistæ anfa subnata est c. I. symbolum *lucis & tabernaculi* conjungendi. Cum enim antea Verbum illud ὑποστατικῶν augustissime descripsisset, *lucis* instar Solaris omnes homines illuminantis, & ad instar columnæ nubis in ipsis tenebris lucentis vers. 4. 5. 9. statim vs. 14. addit, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ εἶδε αὐτὸς τὴν δόξαν αὐτοῦ &c. ubi antitypum columnæ illius lucidæ radiosque late spargentis indigitari extra controversiam est. Nec potuisset sane aptius exprimi admiranda Dei erga misellos homunciones συγκολλησις, qua in tuguriolo Ecclesiæ sanguine ejus redemptæ theatrum augustissimæ suæ perfectionis erigere voluit. Quid enim cœtus electorum in terris in relatione ad Dominum, nisi quod parvum tentorium ad fulgorem solis?

§. XV. Ne tamen nimis abjecte de hoc tentorio, quod habitare *Sol justitiæ* dignatur, sentiamus, in cœlis istud positum. Ita hujus tentorii præ priori præstantia cœlestisque super omnes hostium furores erectus atque in æternum constabilitus Ecclesiæ N. T. status exprimitur. Typicum, quamvis idea ejus in monte, adeoque quodammodo in cœlo Mosis ostenderetur, in terra tamen exstructum est. Antitypicum vero in cœlo, splendore cœlesti lucens, comparet. Confer visum Johannis Apocalypticum universa Ecclesiæ N. T. fata in cœlo ostendens & præcipue cap. XI. 19: καὶ ἠνάγκη ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ ἔρειπῳ, καὶ ἠφθῆ ἡ κιβωτὸς τῆς διαθήκης αὐτοῦ ἐν τῷ ναῷ αὐτοῦ

αὐτὲ καὶ ἐγένοντο αἰσθηταὶ καὶ φωναὶ καὶ βρονταὶ καὶ σεισμός καὶ χάλαζα μεγάλη.

Ad §. 15.

§. XVI. Quamvis Cl. Author fluctuet, an per *thalamum sepulchrum* Christi, an vero Ecclesiam Judaicam intelligere fas sit, bene tamen posteriorem nobis prætulisse videtur. In toto enim Psalmo mysterium redemptionis consummatae supponitur, tanquam *opus illud manuum Dei*, quod cœli annuntiant. Ordo igitur Prophetiæ videretur aliquantum luxari, si per tentorium carnem tantum Christi in terris, & per *thalamum sepulchrum* intelligeres. Malim igitur *tentorium & thalamum* pro diversis subjecti ejusdem symbolis habere. Neque admodum pictura *thalami* hic discrepat a pictura *palatiorum eburneorum*, ex quibus Messias, Ecclesiæ *sponsus*, progrediens conspicitur Ps. XLV. 9. Confer ibi a nobis dicta Exercit. VII. præcipue §. 22. Potissima autem, quæ nos eo inducit, ratio, illa est, quod tentorium Solis justitiæ in deserto erectum ipsum quoque *Chuppæ* (חפף) seu thalami speciem habuit. Evidenter hoc constat ex Jes. IV. 5. 6. Et creabit Jehova super omne habitaculum montis Zionis & omnes conventus ejus, nubem interdiu, & fumum ac fulgur ignis rutilantis de nocte: quippe super omnem gloriam erit TEGUMENTUM. (חפף) Et tugurium erit in umbram de die ab æstu, & in suffugium & habitaculum ab imbre & pluvia. Mysterium columnæ ignitæ hic exprimi negari nequit, sed talis, quæ cum tabernaculo seu tu-

tugurio conjuncta est, quod hic חפה, eadem qua Psaltes utitur, voce dicitur. Et quando Chuppa illa super omnem gloriam esse perhibetur, aperte tentorium respicitur, signum illud gloriæ divinæ, quod *κρυψως* כבוד, gloria dicitur sub se quasi recondens. Id quod eo magis emphaticum, quia Dominus in nube habitans על ישראלis erat, & eum sibi per fœdus Sinaiticum desponsaverat, Confer præ multis aliis locis id declarantibus aut supponentibus Ezech. XVI. 8. *Et expandi oram meam super te & texi nuditatem tuam, & juravi tibi, & intravi in fœdus tecum.*

Ad §. 19.

§. XVII. Placuit Cl. Deusingio encomium Legis Evangelicæ vs. 8-11. secundum diversas Ecclesiæ facies & fata distinguere. Nescio tamen, annon præferenda sit analysis secundum internas ejus qualitates & effecta salutaria populum Dei generatim spectatum concernentia, quæ quam commode institui possit, ex schediasmate patet, quod Tomo sexto operis nostri de mysterio fœderis gratiæ inferuimus, & tribus verbis hic juvat repetere. Describi ergo hic censemus:

I. Præstantiam totius doctrinæ Evangelicæ, quæ emphatice est *Lex Jehovæ*, generatim consideratæ vs. 8.

A. quoad naturam: *Est integra,*

B. quoad effectum: *restituens animam.*

II. Præstantiam singularum partium, quæ doctrinæ Evangelicæ systema constituunt,
& ad

& ad tres classes referuntur, scilicet *mysteria fidei, præcepta, & historia viarum Domini.*

A. *Mysteria fidei dicuntur testimonium Jehovæ, quod laudatur*

1. *quoad naturam: Est certum.*
2. *quoad effectum: Sapientem faciens fatuum.*

B. *Præcepta commendantur*

1. *Generatim: Mandata Jehovæ sunt recta, latificantia cor.*
2. *Speciatim cum respectu ad duo palmaria foederis gratiæ postulata, fidem scilicet & sanctimoniam.*

a. *Postulatum fidei laudari censemus his verbis: Præceptum Jehovæ clarum est, illuminans oculos.*

b. *Postulatum sanctimonie vero sequentibus: Timor Jehovæ est purus, manens in æternum.*

C. *Historia viarum Domini sub nomine judiciorum proponitur, quorum encomium ita se habet: Judicia Jehovæ sunt veritas, justa sunt pariter.*

III. *Ex hoc encomio conclusio tum pro utilitate, tum pro jucunditate doctrinæ Evangelicæ necitur.*

A. *Quoad utilitatem præfertur auro.*

B. *Quoad jucunditatem vero melli.*

Constitueramus in excerptis quibusdam ad reliqua Psalmi observatiunculis pergere, sed ne spatium iis, quæ huic fasciculo destinata sunt, nimis præripiamus, in aliud tempus ea seponimus.

III. JOH.

quam idem de *morte Peregrini* facit sententiæ, quæ defenditur, nihil officit. §. 12. Uti nec id, quod de pacato orbe terrarum Imperatoribus congratulatur. §. 13. In ipsum Apologiæ scriptæ annum inquiritur, isque post C. N. 177. fuisse asseritur. §. 14. *Primo*, quia non alio Commodi anno orbis pacatus fuit. §. 15. *Secundo*, quia Athenagoras ad testimonium fervorum provocat. §. 16. *Tertio*, quia Imperatores ita alloquitur, ac si Romæ in palatio suo versarentur. §. 17. Epilogus usum hujus disceptationis in historia ecclesiastica commentrat.

§. I.

Septimus jam agitur mensis, ex quo primam in celebrem MARCI ANTONINI, Augusti, de morte cruentorum Christi testium locum Dissertationem edidi, qua, ut certius injurias hominibus sanctissimis illatas in sequentibus abstergerem, curatius, quam huc usque factum, quos petat ille martyres, inquisivi. Quod negotium quo melius succederet, & integram malorum, hoc imperante, Christianis afflictorum Historiam observationibus nonnullis illustrare, & Lugdunensis præcipue afflictionis æram, a doctorum quorundam perturbatis admodum rationibus, vindicare conatus sum. Nec mihi dubium est, quin omnes, qui pagellas istas perlegerint, intelligant, me eorum, qui decennio vexationem hanc juniorem faciunt, & ad A. C. CXXVII. trahunt, sic profligasse copias, ut aut novis in posterum, aut

aut prorsus nullis ipsis utendum sit. Atque hoc luculenter demonstrato, illud simul consecutus sum, ut non alios, quam Lugdunenses illos testes Philosophicis suis meditationibus exagitasse Imperatorem, veri simillimum videri debeat. Sed omnia penitius consideranti, alii quoque occurrebant, quos mentis parum sanæ ob mortem ultro appetitam postulare potuisset, ii nimirum Christiani, quos eleganti olim libello, non infimi Philosophus ingenii, ATHENAGORAS defendit. Igitur, cum rationes meæ impedirent, quo minus cœpto tunc insisterem labori, secunda Dissertatione me proxime ostensurum esse, pollicebar, eodem tempore, quo Christianorum sanguine Gallia madebat, Apologiam hanc in litteras relatam esse. Mitiora tunc libellis meis fata augurabar, propediemque sperabam fore, ut *Observationum mearum sacrarum & ecclesiasticarum Libro II.* destinata plane possem exsequi. Enim vero Junonem adhuc iratam experior. Ne de ceteris quidquam laboribus meis dicam, hæret adhuc, nescio quo fato, *primus Observationum Liber*, Lubecæ; nec nisi paucae ejus plagulae excusæ sunt. De reliquis quid sperem, cum tam difficulter e tenebris suis primus eluctentur? Interea, quo mali nominis culpam evitarem, non abs re fore duxi, ea, quæ de Apologiæ ATHENAGORAE ætate meditatus fui, publici juris facere. Quod quidem eo nunc

libentius a me fit, quod & nonnihil hinc utilitatis redundare intelligam, & vel sic non iniqui rerum aestimatores judicare possint, qua æquitate animi & industria in conscribenda *vera martyrum & persecutionum Christianarum Historia*, quam dudum meditor, versaturus sim.

§. II.

Duplex vero labor hic mihi incumbit. Generalior præmittenda erit disquisitio, cuiusnam præter MARCUM Imperatori liber ATHENAGORAE inscriptus sit, VERO. an COMMODO? Succedet specialior, de anno, quo oblatus sit? Omnes quidem, qui ante A. CLXXVII. eum exaratum esse volunt, necessario ad VERUM, MARCI fratrem, simul directum fuisse, defendunt. Meum est, ut ostendam ad COMMODUM, MARCI filium, verba facere philosophum. Vestigia aliorum hac in parte sequor. At cum alii nulla adtulerint argumenta, alii imbecilliora, alii quidem satis firma, sed ingeniosis magnorum hominum exceptionibus labefactata; multi præterea peruersissime disputent, molestior hic profecto, quam in altera parte, ubi fere solus incedo, opera me exercebit. Eorum, qui aut novas ATHENAGORAE editiones nobis dederunt, aut de scriptoribus commentati sunt ecclesiasticis aut Historias sacras conscripsere, eorum fuisset huic negotio insudare. At nescio, qui hodie inter eruditos mores obtineant? Ex
tri-

tripode hic pronuntiat, ac si dudū is esset, cui sine rationibus credere tutum esset. Mille aliorum loca ille constipat, ne ratione quidem habita, an Phryges, Cappadoces aut Lappones, an albi sint? Quasi vero novis semper centonibus veritas indigeret. Majorum sequi vestigia, illos observare, nihil novi addere, iste gloriosum ducit. Inquisitionibus vacare necessariis, quæ paullum postulant iudicii aut ingenii, paucissimi cupiunt. Sed magnorum librorum magnos esse auctores plebs semidocta credit. Cujus ut erga nos excitemus studia, opera danda est, quo spissa quædam protrudamus volumina. Nugas magno apparatu vendere, præstabilius est, quam famæ non consulere. Hinc fundi nostri calamitas! Hinc tot adhuc in omnibus scientiis dubia, tenebræ, errores! Miseros nos! Quantum est pensum, quod propositum nobis est? Non deest, quod agamus, etiamsi sæcula viveremus. Interim aut in ineptissimis ineptiis, aut in nullius utilitatis laboribus tempus ac vitam perdimus. Si paullo meliores, nostram potius, quam veritatis causam agimus. Sed alio loco uberius sæculi mores deplorabo, jam, quod constitui, exsequar. Est tamen adhuc, quod propter imperitos quosdam monendum sit, qui ex numero auctorum citatorum scriptoris æstimant solertiam ac eruditionem. Omnes fere, si TILLEMONTIUM excipias, excussi, qui in hoc argumento versati sunt. At non omnes nomi-

nabo, nisi eos, qui aut ipsi argumenta adtulerunt, aut observationibus hanc rem illustrarunt. Nihilo melior causa mea erit, si ambitiosum eorum indicem, qui nobis cum sentiant, confecero. Nec deterior, si dissentientium auctoritate commotos fuisse haud paucos, ut cum ipsis sese conjungerent, indicavero. Non nomina spectari volo, sed rationes. Quæ si justæ sint, quid hederam adinet veritati per se laudabili suspendere? Absit tamen, eos dissimulare, quorum me adjuvit industria.

§. III.

Circa libelli inscriptionem primum occupatus ero, quod non ultimum inde pro sententia mea præsidium petatur. Sic vero sese habet: *αυτοκρητορσιν, Μαρτω Αρηλιω Αντωνινω, και Λακιω Αρηλιω Κομμοδω, Αρμηνιακοις, Σαρματικοις το δεμεγισον Φιλοσοφεις.* Ab ipso eam auctore profectam esse, variis de causis dubitari nequit. Codices constanter eam habent, præter unicum forte BODLEIANUM, cui hæc verba deesse EDUARDUS DECHAIR (a) adnotavit. PHILIPPUS quidem SIDETES, aut librarius, quod DODWELLUS vult, qui eum excrispsit, *πρεσβευτικον* hunc ADRIANO & ANTONINO oblatum esse, nar-

(a) In variis lectionibus edit. suæ ATHENAGORAE, quæ Oxonii 1706, in 8. prodiit, qua hic semper utar, additis.

narrat. (a) At vero tam aperte falsa hæc traditio est, ut omni prorsus confutatione indigna sit. Igitur videamustantum, quis ille L. AURELIUS COMMODUS sit, quem præter MARCUM Philosophus noster adloquitur? Equidem neminem fore arbitror, cui non COMMODUS statim, MARCI filius, in mentem veniat: quippe qui sub hoc nomine (b) titulisque non ignotus est. Neque etiam tam iniqui sunt eruditissimi viri, qui dissentiant, ut hoc infitentur. Quæ prima fronte arrideant, deserenda hic esse, monent. Rationes suppeterere, quæ alium hic quærendum esse, suadeant. Vereor, ne doctissimus DODWELLUS paucitatem martyrum sub istis intelligat. PAGIUS, RUINARTUS, aliique aliud quidquam, quod stabiliendis Pontificii coetus decretis inserviat. At valeant suspiciones, quamvis justissimæ. Expendamus potius, quid viri docti excogitaverint, quoad VERUM, MARCI fratrem, hoc nomen ac titulos jure quodam trahere possent. Ipsum primo nomen videbimus, titulos deinde illi adjectos. Illud posse de VERO intelligi-

(a) In fragmento de Catech. Alexandrinis, quod DODWELLUS edidit ad calcem *Diss. in Irenæum* p. 488. conf. *Notas ejus* p. 494.

(b) Quam varie COMMODI nomen in antiquis monumentis legatur, diligentissimus TILLEMONTIUS ostendit, *Histoir. des Empereurs Tom. II. P. III. Not. I. sur Commode* p. 991. 992.

telligi, hos facere, ut de nullo alio cogitandum sit, adfirmant. Nos, spero, quantopere hæc a veritate abluant, dilucide probabimus,

§. IV.

De nomine multa movere nolo. (a) Scio, VERUM quoque aliquando ita vocatum fuisse. De hoc dubito, an, posteaquam ab ANTONINO in consortium imperii adscitus erat, ita dictus fuerit. Nova sane dignitas novum ipsi pariebat nomen, ac ex præcepto MARCI in Actis publicis pro COMMODO in posterum AURELIUS dicebatur VERUS, aut ANTONINUS. Diserte duobus aut tribus locis hoc CAPITOLINUS docet. (b) *Verum vocari præcepit, loco, ait, ultimo laudato, suum in eum transferens nomen cum ante Commodus vocaretur.* Nec PAGIUS hoc ignoravit, qui alibi, (c) ut CAPITOLINUM cum se ipso conciliet, erudite animadvertit, verba, quæ jam adtuli, non ita capienda esse, ac si tum demum VERI nomen obtinuisset, quo jam antea usus erat, sed de Actis publicis hæc interpretanda, in quibus postea loco COMMODI constanter VERUS adpellatus fuerit. Antiqui numi, inscriptionesque, ut ex GOLTZIO (d)

(a) Vid. ANT. PAGI *Critica ad Baronium* ad A. CLXXVII. n. VIII. IX. p. 75. ubi confuse admodum disputat. Conf. ejusd. *Diff. Hypatica* p. 116. p. 216.

(b) In vita Marci Aurelii c. VII. p. 64. in vita Veri c. I. p. 90 c. IV. p. 93. ed. Obrechtii.

(c) Append. ad T. II. *Criticæ* p. 206.

(a) aliisque discitur, idem confirmant. In illis enim semper L. AURELIUS VERUS audit. Quis ergo credat, in publico scripto Philosophum alio nomine Imperatorem compellasse, quam quo publica auctoritate ab omnibus dicebatur? Est, quod excipiat PAGIUS, HIERONYMUM VERUM ita nominasse, qui de secunda JUSTINI M. Apologia dicit, (b) scriptam eam esse datam M. Antonino Vero & L. Aurelio Commodo. Alia HIERONYMI loca ad hoc potuisset. Huic enim in more positum est, ut, quotiescunque de Imperatore hoc loquitur, istam adpellationem adhibeat. (c) Provocat & ad inscriptiones, in quibus passim hoc nomine vocetur. (d) Equidem si rixis delectarer, ac cuncta referare vellem ad vivum, responsionem facile invenirem. Indicem HIERONYMI, privatum videlicet scriptum, cum Apologia ATHENAGORAE male componi, dicerem. In inscriptione citata non L. AURELIUM COMMODUM, sed L. AELIUM AURELIUM COMMODUM legi, reponerem. At enim, dudum est, quod molesti dubitatoris nomen fugio. Igitur liberalis ero. Sit ita, VERUM Imperatorem antiquo

(a) Thesauro numismat. p. m. 76. f.

(b) Catal. Script. Eccl. c. XXIII. in *Fabricii Bibl. Eccl.* pag. 91.

(c) l. c. c. XXVII. p. 97. c. X XVIII. p. 98. c. XXXII. p. 101. &c.

(d) *Diss. Hypatica* p. 216.

quo a permultis nomine nuncupatum fuisse. Neuter nostrum ex nomine argumentum ducat. Ad titulos ipsi adjectos veniamus.

§. V.

Magnum quid in iis pro sententia sua se reperisse arbitrantur, doctissimi adversarii. Ego vero tam decipi potuisse acutos homines, mirarer, nisi, quantum in animis hominum setæ studium, opinionumque, qua imbuti sumus, amor possent, didicissem. *Armeniacy, Sarmaticy, Philosophi*, vocantur Imperatores. Prima vox telum contra nos viris doctis impeditat. (b) Nunquam, clamant, COMMODUS dictus est *Armeniacus*. VERO id nominis cum fratre post devictas barbaras gentes tributum fuit, quod CAPITOLINUS testatur. (i) Sed bene est, quod secunda vox pro nobis militet. Quo modo VERO titulus SARMATICI competet, cum post ejus fata SARMATAE, vicinæque gentes debellatæ sint? Quam bene vero hic in COMMODUM quadrat, quem una cum patre GERMANICI aut SARMATICI nomine illustrem fuisse, nullus dubitat? Ancipiti pugnatur Marte. Penes quos ergo victoria stabit? Certe apud nos, qui COMMODUM hic intelligi volumus. De quo quidem nullum cuiquam dubium

(a) Vid. *Pagius* ll. cc. HENR. DODWELLI *Diff. Cyprian.* XI. §. XXXVII. p. 67. PETRI HALLOIXII *vita illustr. orient. eccl. scriptor.* Vol. II. c. XXVL

(b) *In vita Veri e.* VII. p. m. 97.

bium esse poterit , si contrariam conclusio-
 nem perfacile , nostram nullo modo solui pos-
 se , evicero. Si quis ex me quærat , cur
 COMMODUS ab ATHENAGORA *Armenia-*
cus salutatus sit , prompta erit responsio. Fa-
 ctum id est propter patrem , cui titulus iste
 debebatur. Fieri non poterat quin utrique
 illud nominis daret , cum utrumque conjun-
 geret. Quam enim inconcinna fuisset inscri-
 ptio & a moribus istius ævi aliena , si ita fuif-
 se expressa : *Antonino , Armeniaco , Germanico ,*
ut & Commodo , Sarmatico. Gravius hoc pacto
 in decori leges peccasset , quam in eo , quod
 conjunctim *Armeniacos* , patrem & filium dice-
 bat , etiam si alteri tantum id vocabulum vulgo
 tribui soleret. Neque certe hoc a vulgari lo-
 quendi consuetudine , aut ab institutis homi-
 num remotum est , ut vel hodie similia inter-
 dum contingant. Quod si vero jam interro-
 ges , cur VERUS fuerit SARMATICUS di-
 ctus ? nil quod rationis saltim præ se ferat
 speciem , proferri poterit. Unicus est por-
 tus , in quo omnis spes doctissimis viris repo-
 sita est , ars Critica nimirum. Vitiorum co-
 dices arguunt , quibus pro *Σαρματικοῖς* resti-
 tuendum sit *παρθηνοῖς*. Sic omnia probe in
 VERUM conveniunt , quem ita nominatum
 fuisse , constat. Si ex remediis , quæ adhi-
 bentur , causæ bonitas æstimanda erit , nescio
 an quis umquam de pejore cogitaverit. Quid
 sani reliquum erit ? Quo non audacia pertin-
 get

get Critica? si quidem ejusmodi medendi artes obtineant. Actum erit, de omnis Historiæ veritate, si, quod nostris non respondet rationibus, expungere, quod placeat, intrudere in scriptores licebit. Nullus est codex, qui tam violentæ faveat emendationi. Non vocum adfinitas, aut litterarum ductus eam sublevant. Non aliis nititur præsiidiis. Quid ergo? Hoc suffecerit, quod ad rem auctorum adprime faciat? Ne ipsi quidem hoc pro æquitate sua vellent. Abeat ergo frigidissima correctio, indigna viris, quorum e cerebro prodiit.

§. VI.

Philosophi nomen restat, quod reliquis imperatorum titulis adjungit ATHENAGORAS, ipse philosophus. Paucula mihi de hoc quoque differenda sunt. Novum enim ex eo pro se argumentum viri docti fabricant. COMMODO id minime omnium, ajunt, convenire, qui ab ineunte ætate a philosophiæ studiis cum maxime abhorruerit. VERUM e contrario ita adpellatum fuisse, ex Apologiæ JUSTINI M. quae vulgo secunda dicitur, initio patere. Quod si ea denuo hic repeterem, quæ de voce *Armeniacus* jam monui, nullus fraudis aut ineptæ responsionis me postulare posset. Sed ne ullo modo causæ defuisse videant, quam frustra hæc dicantur, demonstrabo. Ita est. Pessimi COMMODI mores indigni sunt tam splendido vocabulo. At viderint

derint, qui CAPITOLINI vitam VERI evol-
vere, num is melior fuerit philosophus? Ec-
quid tandem nomine isto dignum egit, si a
nonnullis fortassis orationibus ac carminibus
discefferis, quæ tamen non ipse composuisse
credebatur. (a) Quo itaque jure VERUS,
eodem COMMODUS in honoris hujus par-
tem venire poterat. (b) Immo vero potiori,
cum a præstantissimis ætatis suæ philosophis
pater ipsum sollicitè imbui curaverit, & ipse
in perficiendo illius ingenio elaboraverit. (c)
Di-

(a) *Capitolinus* in vero c. II. p. 92. ed. *Obrechtii*.

(b) Est in libro I. ANTONINI ad se ipsum §. XIV. p.
16. ed. *Gatakeri*, vexatus admodum locus, qui mul-
torum exercuit ingenia. Laudat in præceptoribus
suis Imperator τον Αδελφον ος Σεξερων, ac se multa
ab eo didicisse, prædicat. SI SCALIGERI, SALMA-
SII, BARONII, CASAUBONI, aliorumque emen-
dationi locus esset, hoc testimonium efficeret, ut
inter philosophos numero quodam VERUS esse de-
beret. Illi enim, cum alio fratre MARCUS caruerit,
pro Σεξερς legendum esse putant Ουηρς, quemad-
modum VERI nomen apud Græcos passim scriba-
tur. At, præterquam quod GATAKERUS recte ani-
madvertit, minime omnium de hoc flagitiosissimæ vitæ
homine, quæ Imperator ibi laudat, dici posse, hoc
nomine correctio hæc rejicienda erit, quod non ad-
pareat, qui medios inter præceptores suos fratrem
constituere potuerit. Præcedunt philosophi quibus
operam dedit. Sequuntur etiam. Horum choro fra-
trem adoptivum inseruisse Augustum, quis sibi per-
suadeat? Alia male sano huic loco medicina quæ-
renda erit. Ego quidem, si cum tantorum homi-
num

Dicas licet, non auribus hic aliquid patris dedisse ATHENAGORAM, cui nihil magis in votis

num sententiis nostras conjecturas componere fas est, sic opinor, voces τῶν ἀδελφῶν μου ad marginem ab imperito quodam scriptas male in textum irrepisse, ac simpliciter, pro MARCI more, legendum esse, παρὰ Σεβερῶν. Confudit non nemo sine dubio hanc vocem cū nomine Οὐρηῶν, aut codicem fortassis habuit, in quo scriptum erat Οὐρηῶν, quem errorem nominum adfinitas facile parere potuit. Ut ergo, quis ille esset, intelligeretur, exemplo suo addidit: τῶν ἀδελφῶν μου. Quæ voces temere postea orationi ipsi immixtæ sunt. SEVERUS vero ille non alius est, quam CLAUDIUS SEVERUS, Peripateticus, quem in magistris ANTONINI, JUL. CAPITOLINIUS in *ejus vita* c. III. p. 58. numerat. Cogitavit de hoc viro jam GATAKERUS, qui tamen non immerito circa nomen τῶν ἀδελφῶν hæsitat, quod, si cuidam inter præceptores MARCI, longe tamen melius JUNIO RUSTICO, quam huic, non admodum ei familiari, competeret. At hanc difficultatem nostra plane tollit suspicio. Cui quidem non minimum ex eo robur accedit, quod, cum in eo libro omnes, quos audiverit, philosophos enumeret, ac quid ex unoquoque hauserit, diligenter exponat, hujus tamen SEVERI nullo verbo mentionem facit, quem tamen inter eos fuisse certum est. Nec alia hujus silentii ratio reddi potest, nisi is in hoc loco reperitur. Opinatus aliquando sum, Imperatorem, qui crebris utitur ellipsis, hic vocem διδασκαλῶν subintelligere, ut integra oratio sic fluere: παρὰ τῶν διδασκαλῶν τῶν ἀδελφῶν μου Σεβερῶν, quam brevius ita conceperit παρὰ τῶν ἀδελφῶν μου. Sic VERI præceptor

votis erat, quam filium cernere philosophum: propter institutionem tamen non incommode sic nuncupari poterat. Multi olim ob institutionem ita vocabantur, qui in sua diserti tamen erant vitia. VERUM à JUSTINO M. sub initium Apologiae secundae philosophum esse dictum, quis negat? Quid vero hinc colligere licet? Ergo COMMODUS non ita nominatus est, aut nominari potuit? Monstrum profecto conclusionis! Mihi, si quid judicare possum, hæc inde nasci videtur collectio. Si VERUS, a philosophia alienissimus, hac denominatione dignus est habitus, non tam religiosum ejus usum tunc inter homines fuisse, adparet. Si hic philosophus, quidni & COMMODUS, ejus, si mores quidem ac vitam spectes, haud multum dissimilis? Mihi certe si in mentem veniret, verba sub initium Apologiae JUSTINI: καὶ λυκίῳ φιλοσοφῶ, corruptionis insimulare, vocemque φιλοσοφῶ aut repudiare, aut ad alium quemvis transducere, iisdem uterer armis, quibus hic viri docti, nec haberent, quo temeritatem meam coercere possent. Impedi-

re

ceptor hic SEVERUS diceretur. Atenim, ut omit- tam, in doctoribus hujus, quos CAPITOLINUS recenset *in vita c. II. p. 91.* SEVERUM non occurrere, quivis probabiliora esse, quæ antea scripsi, intelliget. Non erat tamen cur το επεχειν GATAKERUS, alii- que hic eligerent.

(c) *Lampridius in vita Commodi c. I. p. 118, Herodianus Histor. Lib. I. c. II. p. 4. ed. Bæcleri.*

re dicerem improbam hominis vitam, quominus hic intelligendus sit. Deesse exempla, eum aliquando ita vocitatum fuisse. Si quid est, quo me confutari posse censent aduersarii, id sibi quoque dictum esse putent. Utinam! vero omnes justæ ratiocinationis leges observarent, qui in rebus antiquis illustrandis desudant, magna tenebrarum pars, quibus nunc premuntur, facile dissiparentur.

§. VII.

Cum per se satis certa sunt, quæ ex inscriptione libri pro COMMODO disputavi, tum illustri Apologia ipsius loco ita confirmantur, ut, nisi prorsus a veritate alienus, sententiam nostram in dubium vocare queat. Patrem & filium aperte eos nominat Philosophus Imperatores, quibus librum suum inscripserit. En verba: (a) εχουτε αφ' εαυτων ημη την εκβασιον βασιλειαν εξετασζειν, ως γαρ υμιν πατερ ημη υιω παντα κεχειρωται, ανωθεν την βασιλειαν ειληφοσι - - ετως ενι τω Θεω ημη τω παρ' αυτη λογω υιω νοσμενω αμερατω παντα υποτετακται. Vos autem, o principes, vosmet ipsos intuendo, naturam imperii cœlestis, investigare possitis: ut enim vobis patri & filio omnia in potestate sunt, regno divinitus in vos collato - - sic uni Deo & verbo ejus, qui filius ejus inseparabilis esse concipitur, subjecta sunt omnia. Imperium cœleste cum terrestri confert. Ut in illo pater & filius æqua sint dominatione: sic ad patrem quoque & filium terra-

(a) Apol. c. XV. p. 63. 64.

terrarum orbis suo tempore imperium perti-
nuisse, ait. Quis de MARCO & COMMODO
hoc dictum neget? Quis ad VERUM
hæc pertrahat, qui tantum abest, ut filius
MARCI dici queat, ut adoptionis jure tan-
tum fratris illius nomen usurpaverit? Primus
ergo, ni fallor, SUFFRIDUS PETRI (a)
immotum hoc proCOMMODO argumentum
judicavit. GEORGIUS BULLUS non inepte
ex hoc loco, SABELLII partibus ATHENA-
GORAM non favisse, adversus PETAVIUM,
ostendit. (b) DODWELLUS porro ceteri-
que tam sapienter rebus suis consulere, ut ne
illud quidem adtingerent testimonium, quod
tam manifeste jugulum causæ suæ petere,
sentiebant. Unus omnium, quantum novi,
inventus demum est ANTON. PAGIUS, qui
vim ejus enervare conatus sit.

§. VIII.

Si quis alius eo processisset audaciæ, homi-
nem profecto spernerem, qui id negaret,
quod omnium expositum est oculis. At ce-
lebre PAGII nomen facit, ut exceptioni ejus
paulisper immorandum esse censeam: præ-
sertim, quod NIC. TOINARDO, viro eru-
dito, suam sese interpretationem probasse,
glorietur. Quo res omnis certius transiga-
Class. II. Fasc. V. Kkk tur,

(a) Notis ad *Athenagoram* p. m. 4.

(b) *Defens. fidei Nicænae Sect. III. cap. V. §. 4. p. 205.*
Opp. a Græbio editorum.

tur, ipsa viri verba exscribam: (a) *Sed observandum, ait: Athenagoram Christianos impietatis accusatos defendentem, ostendere Deos gentilium nullam vim atque efficaciam habere, uni vero Deo Christianorum & filio ejus subjecta esse omnia, uti in gubernatione imperii patri & filio in potestate cuncta essent, regno divinitus in eos collato; ubi L. VERUM, qui M. AURELII gener erat, filium vocavit, ut comparatio eo melius quadraret; nec aliud in hoc loco arcanum latet, ut recte vidit Toinardus, & reliqua. Quacumque demum ex parte hæc verba contemplor tam mihi videntur infirma, ut, quid iis respondendum sit, ferme non inveniam. Scopum esse ATHENAGORAE, potentiam Dei patris, filiique, exemplo Augustorum, qui soli regebant, Deorumque vim plane nullam, commonstrare, nunquam negavero. Sed quid hoc ad probandum, COMMODUM ab eo non innui? Ipse vir doctus fatetur, longe concinnio rem fore comparationem, si naturalis intelligatur filius, cum ejus rei causa improprie VERUM ^{vior} esse dictum, concedit. Quæ ergo iniquitas, sensu proprio deserto, ad improprium, cum nulla præsertim ratio moveat, confugere? Sed ita sese gerit PAGIUS, ac si aliunde satis jam de certitudine opinionis suæ constaret, levisque tantum objectio quædam expedienda esset. Hac persuasione sublata,*

quod

(a) *Critica in Baronium ad A. CLXXVII. n. VIII. p. 75. a.*

quod facile auxilio eorum, quæ disputavi, fit, nil jejunius argumento, quod in verbis ejus latet, inveniri potest. COMMODUS non potest hic intelligi. Nam ATHENAGORAS VERUM ὁ μὲν vocavit. Vestram fidem, qui ratione quadam præditi estis, quis unquam ita calculos posuit? Si dicere idem erit ac concludere, PYRHO, HARDUINUS alique vicerint. Quam absurda, quæso, hæc foret comparatio, si Deum cum focero, Christum cum genere contendisset philosophus? Quæ hinc ineptarum consequutionum seges nasci poterat? Quis demum mentem percepisset hominis, si tam contra morem receptum locutus fuisset? Candidius adhuc cum PAGIO agam: Si nihil aliud ATHENAGORÆ constitutum fuisset, quam Dei potentiam & Christi ostendere, vox ὁ μὲν suffecisset, voces πατρὶ ηὐτοῦ σὺν secure omitti potuissent. Hæ quamdiu stabunt, nullum omne viri docti acumen erit. Paucis rem omnem complectar. PAGIUS sic concludit: Potest fortassis in libelli inscriptione VERUS intelligi. Ergo contorta loci hujus explicatio quærenda. Nos sic: Non debet alius, quam COMMODUS in indice libri quæri, si quid sana valet ratio. Quocirca ea, quæ omnium oculos ferit, interpretatio non deserenda est. Uter melius?

§. IX.

Nullus, qui hæc rite expenderit, erit, qui pro COMMODO pluribus verbis, quam opus fuerat, litem peroratum esse neget. Nihil

tamen minus id nunc operam dabo, ut eorum, qui contrarias tuentur partes, argumenta diluam. Horum enim si perspecta erit infirmitas, facilius nobis cuncti adsentientur. **SUFR. PETRI** jam duas olim protulit rationes (a) quæ **VERO** forsân hanc dedicatam esse Apologiam, persuadere possent. Prima est, cum vivente adhuc **VERO** Christianorum sub **MARCO** afflictio cœperit, admodum esse verisimile, ipsis calamitatis initiis medicinam **ATHENAGORAM** parare voluisse. Altera ex eo ducta est, quod **VERUS**, cum bellum ferueret Parthicum, Athenis per tempus aliquod hæserit. Hinc concludit, longe gravioribus miseriis, quam alias, Athenienses tunc Christianos pressos fuisse. Porro, si hoc certum, illud quoque non adeo a veritate abhorrere, istas ærumnas **ATHENAGORAM**, Atheniensem, excitasse, ut libellum suum supplicem in litteras referret. Unde demum sequatur, **VERO** inscriptam esse. Numerum suspicionum vides elumbium ac aridarum, quem ita tamen disposui, ut alicujus, licet levissimi, videatur esse pretii. Si ad sanæ rationis leges eas exigere vellem, in fumos ac auras sine mora abirent. At otia ipse mihi auctor fecit, qui in illis adquiescere noluit. Quapropter nec ego in excutiendis iis tempus consumam, quæ vel pueri exploraverint.

§. X.

(a) In Notis ad Athenag. p. 3. 4.

§. X.

Ad ea accedam, quæ alii produxerunt litteris paulo excultiores. Potissimum omnium est ATHENAGORÆ locus, a PAGIO vehementer commendatus, quo Christianos orare, ut filius patri succedat, commemorat. Verba, ne argumenti vim me quis labefactasse putet, ipsa exscribam: (a) πνες γαρ και δικαιωτεροι ων δεονται τυχειν, η οι πνες περι μεν της αρχης της υμεπερας ευχομεθα, ινα παις μεν παρα πατρος κατὰ το δικαιωταρον διαδεχησθε την βασιλειαν. *Quinam enim consequentur equius ea que petunt, quam nos qui pro imperio vestro preces ad Deum fundimus, et ut filius, quod justissimum est, in regno olim parenti succedat.* In hoc se jactat PAGIUS, aitque, de COMMODO, MARCI filio, non posse hæc explicari, quippe, qui jam cum patre imperaverit, filiosque tunc nullos, successuros aliquando, habuerit. VERI e contrario tempori hæc egregie convenire. Cum enim A. CLXVI. quo ipse scriptam vult hanc Apologiam, d. XII. Octobris, COMMODUS una cum fratre VERO Cæsar proclamatus fuerit, Christianos pro successione hujus comprecari Numen potuisse. Satis hoc diluiffem argumentum, si dicerem, quæ supra explicavi ac vindicavi, impedire, quo minus hic locus ita intelligatur, etiamsi durius locutus videri posset ATHENAGORAS. Deinde maxime veritati mihi consentaneum

Kkk 3

habe.

(a) C. XXXI. p. 138.

habetur, non ad unum aliquem speciatim hic respici, sed hoc tantum dici, optare Christianos, ut progenies Imperatoris rebus Romanis semper præesset, nec turbulentorum hominum consiliis familiæ Cæsareæ successio interrumperetur. Quem his verbis sensum esse posse, nemo certe infitiabitur, cui dictio ATHENAGORÆ notior paullo est. At enim vero ne hoc quidem utar defensionis genere. Id quæram, an adeo absurdum sit statuere, filium illum esse COMMODUM? Admodum tum erat juvenis, nec nisi nomine par genitori. Quidni ergo pro eo Deum Christiani orarent, ut, patre defuncto, ipsius fastigium adscenderet, nec, si forte MARCUS, COMMODO adhuc puero, diem suum obiret, seditiosorum conjuratione paterna dignitate everteretur? Quæ quidem preces eo justiores erant, quod præter illum, nullus, qui regere posset, ex familia Cæsaris supererat. Sed pressius adhuc virum urgebo. Explicet mihi, sodes, PAGIUS, si COMMODUS per filium hic intelligi nequit, quid sibi illa velit inscriptio apud FRANC. MEDIOBARBUM BIRAGIUM, (a)

COMMODO CÆS. AUG. FIL. - - TRIB.
P. III. IMP. II. P. P. Num exemplum adhuc desiderat, COMMODUM, etiamsi Augustum, filium fuisse dictum Imperatoris, sive Augusti? Solvat hunc mihi nodum, si possit, dicat-

(a) In Numism. Imp. p. 242. ed. Mediol. 1683.

dicatque, quid denotent voces **COMMODI** nomini adjectæ, **AUG. FIL.?**

§. XI.

Pergamus ad alia. Mortem **PEREGRINI**, celeberrimi inter Cynicos Philosophi, cujus fortassis vitam mox uberius examinabo, alio loco **ATHENAGORAS** commemorat. Novum inde pro sententia sua fulcrum **DODWELLUS** eruit, quem præter alios **PAGIUS** sibi sequendum consuit. (a) Ita de hac **PROTEI** hujus combustione nostrum verba facere, dicunt, tamquam rem narraret, quæ nuperime contigisset. At certum est, **A. CLXV.** hunc hominem mortem sibi conscivisse. Igitur hinc intelligi, perhibent, invita veritate ad **COMMODI** imperium hanc Apologiam trahi. Uterque & **PAGIUS** & **DODWELLUS** hac ratiocinatione utitur, etiamsi in anno libelli definiendo dissentiant. Ille **A. CLXVI.** eum tribuit. Hic ad **A. CLXVIII.** transfert. Unde evidens est, eandem ejus apud utrumque, eosque, qui sequuntur eos, vim non esse, si quidam aliquam haberet, sed majorem ad **PAGII** rationes stabiliendas. Mihi quidem id hoc loco perinde erit, cum in capite, de quo lis est, conspirent. Nec longa in rejicienda ea discussione utar. Recitare scriptoris verba, viros erit refutare. Hæc vero sunt, quæ, ubi de statuis **PEREGRINO** dedicatis,

Kkk 4

loqui-

(a) Critica ad **A. CLXV.** n. VI. p. 61. & *Diff. Hypatica.* P. II. c. III. p. 116.

loquitur, aliud quasi agendo adiecit. (a) Ο δε
 τα Αλεξανδρου, ητοι ο τα πρωτως (ταυτην δ' εκ αγνοειας,
 ριψαντα εαυτον εις το πυρ περι την ολυμπιαν) Quod
 vero adtinet ad Alexandri statuam & Protei (non
 ignoratis autem hunc, qui se ludis Olympicis in ignem
 coniecit.) Omnes, qui Græca mediocriter in-
 telligunt, iudices esse volo, num hic illud,
 quod viri docti, cernere possint? Nil causæ
 dicam, quin omnia nostra rejiciantur, si pu-
 tent, idem esse, alicujus memoriam in animo
 cujusdam resuscitare, & de re nuperrime ge-
 sta loqui.

§. XII.

Tertius restat locus, quo aliquid effici posse
 sperant. Tranquillitatem orbi terrarum his
 Imperatoribus partam sic laudat ATHENA-
 GORAS: (b) η συμπαση οικουμενητη υμετηρα συν-
 εσει βαθειαι ειρηνες απολαυσιν. *Universus hic ter-
 rarum orbis vestrae prudentiæ beneficio altissima pa-
 ce perfruitur. Doctiorum censuram, si ejus-
 modi dimicarem copiis, vehementer perti-
 mescerem. At, sint ea hæc verba potestate,
 qua viri docti volunt. Hincne sequatur, vi-
 vente adhuc VERO, consignatam esse hanc
 Apologiam, tantum videamus. DODWEL-
 LUM quidem nil moror, qui sic mentem su-
 am explicat: Quod autem de οικουμενης βαθειαι
 ειρηνη gratulatur Athenagoras, de alio certe, quam
 de fratre Lucio intelligi non potest. Nec enim ab-*
 sol-

(a) C. XXIII. p. 107.

(b) C. I. p. 8.

solvit *Marcus Marcomanicum bellum*, in quo filio socio usus est. MARCI Historiam nescit, qui summum aut memoriæ, aut negligentia peccatum hic non adgnoscat. Ac PAGIUS recte jam docuit, eo A. CLXVIII., quo DODWELLUS librum hunc autumat consignatum, bellum prius Marcomanicum jam arsisse. At quid is cum sociis? Curatius quidem existimant, ad A. eam CLXVI. pertinere potius posse, cum præcedenti anno bellum Parthicum finitum fuerit; sed neutiquam firmiter illo colligunt. Id docent, potuisse eum hoc anno scribere, non vero scripsisse. COMMODO enim jam AUGUSTO eadem verba usurpari potuere. A. nimirum CLXXVI., quo titulum hunc accepit, pax in imperio, devictis Germanis, Sarmatisque, sancita est; quod inter alia numus apud MEDIOBARBUM confirmat, cum inscriptione: PAX ÆTERNA. Si ergo, quod nos jam probabimus, A. CLXXVII. scripserit ATHENAGORAS, quid mirum, eum de pace Augustis gratulari?

§. XIII.

Tædioso defunctus sum labore in examinandis iis, quæ pro VERO adversarii celeberrimi dixerunt, COMMODOque ab objectionibus vindicando. Non ipsa quidem argumenta tantum continent roboris, ut aliquem fatigare possint. At confusissima disputandi ratio, qua, nescio quo fato, doctissimi dissentientes utuntur, meumque, quod a

litibus maximopere abhorret, ingenium, molestiæ nonnihil crearunt. Denique ita factus sum, ut ipsa rationum imbecillitate haud parum commoveri soleam. Annus jam speciatim indicandus erit, quo scripta sit hæc Apologia, quod facilius, priori disquisitione absoluta, fieri poterit. Illud quidem extra omne dubium est collocatum, post A. CLXXVI. exaratam esse. Præterquam enim, quod hoc anno demum victoria de Germanis, Sarmatisque constituta est, quam SARMATICI nomen in titulo respicit, COMMODUS quinto *Kalendarum Decembrium die*, LAMPRIDIO teste, (a) hujus anno Imperator salutatus est. Unde certissime constat, eo ipso anno non potuisse eam ad illum, tamquam Imperatorem, dirigi. Tres anni cum dimidio fere adhuc supersunt, quibus una cum patre COMMODUS regnavit. Decessit enim MARCUS mense Martio A. CLXXX. Igitur hoc quaeritur, ad quemnam ex his annis Apologiae hujus scriptio pertineat. Sunt, quibus cum SUFFRIDO PETRI (b) A. CLXXIX. placet. Alii, a quibus doctissimus DUPINIUS (c) non multum abit, A. CLXXVIII. nominant. At neutra pars suam argumentis stabilit computationem. Melior ergo sine dubio nostra erit,

(a) In vita Commodi c. II. p. m. 119.

(b) Not. ad Athenagor. p. 5.

(c) Nouv. Biblioth. des Auteurs Eccles. Tom. I. p. 65.
Not. a. Il est probable - - qu' elle a ete presentee - - vers l' an 178.

erit, quæ ad A. CLXXVII. eam refert, si quidem
 haud contemnendis rationibus corroborabi-
 tur. Tenuit eam jam olim CÆS. BARO-
 NIUS (a) &, si nonnullis credimus, DION.
 PETAVIUS. (b) Enim vero facili prior ne-
 gotio a PAGIO aliisque refelli potuit, quod
 non aliud sententiæ suæ argumentum produ-
 cat, quam locum illum de pace orbis terra-
 rum, quem jam vidimus. Aliqua ejus vis est,
 si prius evictum sit, COMMODO inscriptam
 esse Apologiam. Quod cum BARONIUS
 non fecerit, hi vero negent, fieri non pote-
 rat, quin nihili BARONII argumentum æsti-
 maretur, quod non minus pro VERI, quam
 pro COMMODI temporibus militat.

§. XIV.

Nos quidem jam, posteaquam dilucide pro-
 bavimus, COMMODO dedicatum esse libel-
 lum, meliori jure ac successu hoc telo pugna-
 bimus. Etenim, si de pace reparata Impera-
 toribus gratulari poterat ATHENAGORAS,
 annum inter eos mihi designari velim, quibus
 COMMODUS simul & MARCUS regnarunt,
 in quem ea gratulatio conveniat, præter hunc
 A.

(a) Annal. Eccles. ad A. CLXXIX. (juxta vulgarem
 æram CLXXVII.) n. XXXIX.

(b) Provocant ad ejus *Rationar. tempor.* At si non alio
 scriptorum loco, hoc numquam illud adfirmavit PE-
 TAVIUS. Meminit P. I. Lib. V. p. 288. ed. *Mogunt.*
 1646. 8. ATHENAGORAE inter viros doctos, qui
 sub MARCO florere, De anno Apologiæ nihil
 prorsus habet.

A. CLXXVII. Hic erat, quo quiete Romanus orbis fruebatur. Proxime sequenti novum denuo belli incendium in Germania oriebatur. Ad quod restinguendum Imperator cum filio profectus numquam reversus est, sed in castris fati succubuit. Si itaque hæc de pace verba stricte capienda sunt, ita nostram confirmant sententiam, ut nihil melius.

§. XV.

Sed aliam subjungam huic rationem, non minus certam. Servos innocentis Christianorum vitæ testes adpellat ATHENAGORAS, quorum nemo umquam criminum eos infirmulaverit. Καιροι και δαλοι εισιν ημιν, τοις μεν πλειυς, τοις δε ελαττερς, υς εκ εσι λαθειν. αλλα και τρωτων υδεις και ημων τα τηλικαυτα υδε και τεψευσαλο.
 (a) Atqui *§* servos aliqui nostrum possident, alii plures, alii pauciores, quos ea, quæ facimus, latere non possunt: verum ne ex illis quidem ullus adversum nos tale quicquam vel mentitus est. Calumniæ hic præcipue occurrit, quæ Christianis passim objiciebatur, ac si humanis vescerentur carnibus. Quæ quam mendax esset, vel ex servis, nullius alias frugi hominibus, cognosci posse, ait. Contendantur velim hæc cum iis, quæ de causis afflictionis Lugdunensium in epistola eorum apud EUSEBIUM leguntur. In hac servi, qui metu tormentorum aut malitia adacti Christianos Thyæstæis cœnis ac Oedipodeo concubitu sese commaculare, crimina-

(a) C. XXX. p. 133.

minati erant, omnem calamitatem ac invidiam concitasse perhibentur. At noster, nullum umquam mancipium malos rumores de Christi sectatoribus disseminasse, audacter affirmat. Nescio, quodnam hoc majus indicium esse posset, quæ Lugdunensibus obtigerant, tunc ignorasse, cum scriberet, ATHENAGORAM? At unde hæc ignorantia? Nescire forsitan per aliquot annos poterat, qui aut Alexandria, aut Athenis degebat, quo loco Gallorum Christianorum res essent? Aut ne quis resciret, quas sustinerent miseras. Galli providebant? Nemo hoc dixerit, cui res sacri coetus istorum temporum non penitus ignotæ sunt. Cum in carcere adhuc detinerentur Lugdunenses, Romam IRENÆUM cum epistolis ad ELEUTHERUM mittebant. Crebras præterea ad alios coetus, ut ex EUSEBIO liquet, certis de causis litteras dabant. Posteaquam gloriosa morte obierant, fratres superstites de victoria eorum coetus per Asiam & Phrygiam certiores faciebant. Taceo alia. Qui ergo tanta res solum ATHENAGORAM, scholæ Alexandrinæ præfectum, hominem in primis eruditum, latere potuit? quæ ad omnes statim procul dubio pervenit. Ego quidem hinc certissime colligo, eo tempore ATHENAGORAM scripsisse, quo de Lugdunensi afflictione rumor nondum percrebuerat. Si hoc A. C. CLXXVII. non multum profecto Christianos defenderit, necesse est,

est, quoniam eodem anno Lugdunenses Christiani ultimo supplicio adfecti sunt.

§. XVI.

Argumentorum jam satis est. Sed ultimo tamen locum adhuc producam, qui, licet reliquis longe cedat, aliqua tamen vi præditus esse videtur. Imperatores sic adloquitur **ATHENAGORAS**, acsi Romæ in palatio suo versarentur. Ut enim perspicue declaret, non mundo, sed conditori ejus Deo, honorem unice esse exhibendum, ducta a domicilio Imperatorum similitudine sic loquitur:

εδε γαρ οι προς υμας αφικνεμενοι υπηκοοι, παρελιποντες υμας τας αρχοντας και δεσποτας δεσπευειν, παρ' ων, ων αν δεοιντο, και τυχοιεν, επι το σεμνον της καταγωγης υμων καταφευγσειν. αλλα την μεν βασιλικην εστιαν την αλλως, εν τυχοιεν αυτη, θαυμαζουσα καλωσ ησκημενην, υμας δε παντα εν πασιν αγουσι τη δοξη. Ut neque vestro imperio subditi quum vos adierint, omissis vobis Dominis ac principibus nulloque affectu honore, a quibus quodcunque illis opus est, consequi possint, ad palatii vestri magnificentiam se convertunt: sed ædificii regii tam elegantem structuram obiter et prætereuntes tantum admirati, vos ipsos ante supraque omnia honorant. Sed quid hoc, dices, ad rem nostram? Jam audies. Equidem ita mihi persuadeo, **ATHENAGORAM** si ad Imperatores scripsisset in castris constitutos, inde comparationem fuisse petiturum, non a rebus urbanis. Quod a regio domicilio doctrinæ suæ illustrationem conciliat,

liat, argumento mihi est, rem ipsi fuisse cum Augustis Romæ viventibus ac rem publicam administrantibus. Quod si locus hicce probare poterit, rursus sequitur A. CLXXVII. hujus Apologiæ annum esse. Proximus enim ab urbe statim eos avocavit & armis operam dare jussit.

§. XVII.

Statuat hoc de postremo argumento, quod quisque velit. Nihilominus, si hoc cadat, reliqua stabunt. Quibus quidem ita comparatum esse opinor, ut, cui veritas curæ sit, A. CLXXVII. causam Christianorum egisse ATHENAGORAM, agnitus sit. Non nihil hac ratione lucis Christianorum sub MARCO Historia accepit. Vacillat tantopere a multis hodie jactata DODWELLIANA martyrum paucitas. Liquet, in aliis terrarum orbis partibus, quam in Gallia, eodem tempore vim illis illatam esse. Confirmata est novo argumento aera persecutionis Lugdunensis; quod ii facile perspicient, qui vel ea, quæ de servis jam diximus, considerabunt. Deniq; hos quoque Christi sectatores, quibus ATHENAGORAS patrocinatur, ab Imperatore ANTONINO contumeliosis verbis exceptos esse, aut excipi potuisse, evidens est.

DE LOCO ACT. XIII, 32.

ἀνάστασις Ἰησοῦ, (an agat de
 Jesu *Excitatione* sive *missione* in *car-*
nem, an vero de *resuscitatione ex*
mortuis) *Disceptatio Epistolaris*,
 inter *Virum* quendam *erudi-*
tissimum (a) & *Clarissi-*
mum &

JOH. D'OUTREIN.

SUMMARIUM.

- I. Cl. *Perizonii* epistola ad Cl. *D'Outreinium*. II. Hujus re-
 sponso apologetica. III. Viri cujusdam doctissimi ex
D'Outreinii collegis *judicium*. IV. *Instantia* nova *Pe-*
rizoniana. V. *Examen instantiæ* *D'Outreinianum*.
 VI. *Ultimum* *Cl. Perizonii* *tentamen*.

In prolegomenis partis secunda operis mei Em-
blematici p. 122. obiter hunc locum tetigi atque contra
Rive-

(a) *Veniam a Plurimum Reverendo D'OUTREINIO,*
cujus beneficio Bibliothecæ nostræ jam sæpius insigne
accessit ornamentum, exigimus, quod ipso quamvis
reluctante publicum latere nolumus, illustrem ejus
Antagonistam, quocumq; amabile hoc certamen gessit,
esse JACOBUM PERIZONIUM, venerandum il-
lud & post obitum desideratum bonis literis caput.
 Tan-

Rivetum contendi τὸ ἀνάσθαις hic non significare suscitacionem Jesu Christi ex mortuis, sed ejus ortum seu nativitatem, sive missionem in mundum.

Verum enim vero Vir quidam Clarissimus & longe Doctissimus, (ante aliquot annos e vivis ereptus) cujus alioqui Judicium maximi facio, hanc meam explicationem Rivetianæ postponendam hisce verbis significavit a. d. IV. Kal. Nov. 1700.

§. I.

IN præfatione Libri Tui (de Observationibus sacris) omnia probavi, quæ tua sunt. Nisi quod non admittam tuam illam Interpretationem Actor. XIII. 32. contra Rivetum (pag. 122.) ubi ἀνάσθαις putas absurde prorsus referri ad resurrectionem, quàm absurditatem fateor mihi verissimam & rectissimam videri. Nihil dicam de ipso verbo, quod utramque admittit Interpretationem, magis etiam illam excitandi denuo sedentem vel jacentem. Sed ipsa norma interpretandi, tum series & nexus orationis postulare mihi videntur hunc sensum, ex qua ipsa serie Tu potissimum argumentaris. Quid vero? An non disertissime in proximis superioribus exposita est mors & resurrectio Christi (vide versum 30. & 31.) sequitur, eo ordine ac sensu

Class. II. Fasc. V. LII vs. 23.

Tantus enim ejus in Reipublica literaria splendor est, ut maximo decore institutum nostrum fraudaremus, si illud silentio premeremus.

vs. 32. In quo occurrunt illa, ἀναστήσας Ἰησοῦν. Idque firmatur dein vs. 33. ex psalmo Davidis. Sed ais, primum progredi Paulum ad resurrectionem vs. 34. Id vero miror, quum discretissime resurrectionem memoraverit vs. 30. 31. Discrimen autem inter resurrectionem vs. 30. & 34. hoc est, ut prior sit simplex, at posterior talis, postquam Servator noster non sit iterum passurus aut subiturus mortem. Ideo dicit eodem verbo, quum antea dixisset simpliciter, ἀναστήσας Ἰησοῦν, heic ἀνέστησεν αὐτὸν - μηκέτι μέλλοντα ἀποσπέσειν εἰς διαφθορὰν, quod ipsum hic adjectum tunc probat ex aliis psalmorum locis. Alia ergo fuit resurrectio Christi, alia Lazari, qui denuo mortuus, vidit διαφθορὰν, quam ille non vidit vs. 37. Ut adeo per generationem ex psalmo secundo hic relatam vs. 33. non possim aliud intelligere, quam quod Deus, excitando Jesum e mortuis, illum tunc maxime DECLARAVERIT suum Filium, sed ita excitando, ut sequatur adscensio in coelum & perpetua Gloria sedendi ad dextram Patris, nec amplius, ut mortalis homo, subeat mortem. Hæc liberius exposui, quia hanc libertatem postulas, & ita solet inter amicos.

Cui ego sequentem fere in modum respondi:

§. II.

Probari a Te, V. C. ea, quæ mea sunt in prolegomenis tomi secundi, gaudeo. Nullius enim Judicio plus tribuo, quam tuo. Quod vero objicis contra meam interpretationem

ῥῆ ἀνασῆσας Act. XIII. 32. gratissimum quidem accidit ; sed pace tua dixerim , non facit ut a sententia vel latum unguem discedam. Quin mirum videtur , Interpretationem Rivetianam a Te teneri ac defendi. Verum quidem est , commate 30. & 31. de resurrectione Christi dictum fuisse : sed versu 32. novum quasi orationis ac probationis filum inchoari, vel ex ipsa dictione planum est. Scopus enim Apostoli est, demonstrare, Jesum Nazarenum esse *Filium Dei*, Messiamque, patribus promissum ; quem (quod se *Dei Filium* dixerit) injuste trucidarunt Judæi : quemque per resurrectionem e mortuis, Deus publice justificavit. Etenim in tota Orationis serie agnosco (secundum (a) Cl. Tillii analysin accuratissimam.)

I. *Preparatoria* quædam, ad causam principalem. vs. 16--22.

II. Causæ ipsius *pertractationem*, in qua occurrit.

A. *Propositio*. Quæ hæc erat : „Jesum Nazarenum in terras esse missum, ex semine Davidis oriundum ; eumque esse *Filium Dei* ac verum *Messiam*. Et persequens eum injusta de causa a Judæis neci traditum. Quem Deus Pater justificavit & *Filium suum Christum*“

LII 2

que

(a) *Analysis* hæc plenior jam excusa prostat in additamentis ad Cl. Tillii *Methodum Concionandi* in quarto pag. 67.

que declaravit, excitando ipsum e mortuis. vs. 23 -- 31. In hac ergo pericopa agit.

κ. De *Excitatione* seu *missione* ejus in *car-*
nem. vs. 23--25.

ζ. De *injuncta* ejus *nece*, sed *subsecuta* *re-*
surrectione, ad *publicam* ejus *justifica-*
tionem. vs. 26--31. Quibus subjungit.

B. Propositionis istius atque *confirmatio-*
nem *amplificationem*. vs. 32-- Ubi

κ. Denuo agit de *Christo*, in *mundum*
misso, id est, *secundum* *promissiones*
excitato. (Versus enim 32. e diametro
respondet commati 23.) *Quem Filium*
Dei fuisse, ex *psalmo* *secundo* *demon-*
strat. Unde sequitur *Judæos* *injuste*
ipsum *neci* *dedisse*, eo quod *Filium Dei* se
dixisset. vs. 32. 33.

ζ. *Demonstrat* *Deum* *ipsum e mortuis ex-*
citasse ad *vitam sempiternam*. versu
34-- Quo ipso ulterius probatur,
illum qui a *patre* in *terras* *mis-*
sus *erat*, & quem *Judæi* *occiderant*,
verum esse *Dei Filium*. Conf. *Rom. 1, 4.*
Quem *locum* *adfers* *opportune*. Adeo
ut, quemadmodum vs. 32. 33. *in-*
fer-
viunt *amplificationi* *eorum* *quæ* *dicta*
erant *versibus* *23 -- 25*. sic versus 34-
37. *faciunt* *ad amplificationem* & *con-*
firmationem *eorum*, *quæ* *commati-*
bus *26 -- 31*. præsertim vero 28 -- 31.
dicta

dicta fuerant. Quæ concinna sane demonstrandi methodus est.

Porro, hisce argumentis probo τὸ ἀνάστασις vl. 32. non significare *suscitationem e mortuis*; sed *ortum aut nativitatem* Jesu Christi, sive eius *missionem* ad obeunda sua munera.

1. Ex collatione commatis 23. ubi extat verbum ἤγειρε; Cui omnino (ut sæpius accidit) respondet τὸ ἀνάστασις vl. 32. Quin imo notandum esse arbitror, vocem ἐγείρειν multo crebrius usurpari solere de *suscitatione e somno* vel *e mortuis*. Quod vel ex *Trommianis concordantiis* videre est. pag. 595. Et tamen hoc loco manifeste usurpatur de *nativitate* seu *missione* Christi in terras. Confer sis ejusdem hujus capituli versum antecedentem 22. nec non Matth. III, 9.

2. Non desunt loca, in quibus τὸ ἀνίστημι eodem sensu usurpatur, quem ego heic contendo. Vide Matth. 22, 24. præsertim vero Act. 2, 30. Neque aliam significationem habere puto Act. III, 26. quod ex collatione commatis superioris 22. facile patescit; nec non ex re ipsa. Christus enim non tam prædicavit *Judeis post resurrectionem*, sed *ante eam*; cum adhuc in vivis esset Matth. XV, 24.

3. In iis vero locis, ubi ἀνίστημι usurpatur de *suscitatione e morte*, continuo fere additur ἐκ νεκρῶν vel simile quidpiam. Vide Act. 2, 24. ἀνέστη, λύσας τοὺς ὀδίνους τῆ θανάτου. Act. 2, 32. solum quidem verbū ἀνέστη occurrit, sed com-

mate proximo de non videnda corruptione dixerat. Adde C. XIII. 34. Ubi, ἀνεστησεν ἐκ νεκρῶν atque eodem modo Cap. XVII, 31.

4. Nullum mihi dubium est, quin τὸ ἀναστήσας, nostro in loco, conveniat cum Hebræo קָמַתָּה vel קָמַתָּה quod in textu V. T. sæpissime eo sensu usurpatur, quem heic urgeo. Vide præsertim Deut. XVIII. 15. 18. quo digitum intendere videtur Apostolus. Vel potius ad locum Jer. XXIII. 5. Adde loca bene multa, a Trommio notata. Tom. I. p. 1012. Nec non Ezech. XXIV. 23, 29. Nusquam vero mihi constat (quod bene notari velim) τὸ קָמַתָּה usurpari de suscitatione ex mortuis. Atque hoc argumentum solum mihi sufficeret.

5. Immo vero assertionis meæ veritas ex rei ipsius natura patet. Deus enim promissionem, patribus factam, non implevit, primo ac præcipue, per suscitationem Jesu e mortuis; sed per missionem ejus in carnem & Legationem ad obeunda munera ipsi demandata.

6. Quod suscitatio ex mortuis (vf. 34.) ab hac excitatione (vf. 32.) distinguatur, id sane non de nihilo est. Quod enim affirmas „discrimen inter resurrectionem versus 32. & 34. „Hoc esse, ut prior sit simplex, at posterior talis, postquam Servator noster non sit iterum subiturus mortem; non video, quænam in eo esset emphasis. Illud enim per se constabat, Christum, semel e mortuis resuscitatum, in cœlum adscendere debuisse, & jam adscendisse,
nec

nec iterum subiturum mortem. Confer sis
Act. 2, 31-36.

Atque hæc sunt, quæ Tuis, V. C. respon-
dere animadversionibus debui; ne temerariam
crisin intrinxisse viderer, in Viri Tanti, qualis
Rivetus, sententiam. Num & Tu in hisce
rationibus meis solidi quid ac demonstrati-
vum (uti ego judico) reperturus sis, avidis-
sime ex proximis tuis intelligam.

§. III.

*Hanc meam dissertationem epistolitam super hoc
loco, antequam mitterem ad Virum Cl. communicavi
cum alio Viro Reverendo ac Doctissimo, cujus super
hac re sententiam explorare volupe fuit. Is vero
hunc in modum respondit. Quam ejus responsonem
tibi benigne lector, ob oculos poni haud ingratum
fore auguror. Cum talia contineat, quæ illustrande
& confirmandæ veræ (nisi fallor) interpretationi
inserviunt.*

Quod ad sententiam Tuam attinet, non du-
bito, in eam pedibus ire, ut etiam in alia o-
mnia Vir ille Clarissimus, cujus subactum judi-
cium cæteroque multum apud me valet, eat.

Ratione & via procedis, cum in principio
das accuratam & concinnam Argumenti Paul-
lini Analysin, quæ totam rem quasi in con-
spectu ponit. Huic subjungis demonstra-
tionem solidam, in qua certis, & idoneis ra-
tionibus probas, vocem *ἐνασθησας* de Patre, Fi-
lium excitante dictam non referri proprie ad
Christi *exsuscitationem* ex mortuis, sed ad pri-

mam ejus in mundum missionem, quâ secundum humanam naturam primum *exortus* est, & existere cœpit, quæ missio Patri hac voce adscribitur, qui illum singulari providentia ad solvendam promissi fidem non tantum, sed & difficillimis, perditissimisque temporibus miserit, quum omnia adventum Sospitatoris tantum non efflagitarent: hæ enim significationes omnes hoc vocabulo continentur, & heic locum habere queunt. Postquam usum & significationem hujus verbi apud S. Scriptores indicasti, recte colligis, *missionem* Dei de Filio non impleri *speciatim* & separatim in ejus *resurrectione*, sed in ejus *missione*, aut *emissione* in mundum ad obeundum munus sibi à Patre impositi partes, cui missioni connexa est ipsius ex morte resuscitatio. Prophetæ enim veterem fidelem populum sensu præsentium metuque impendentium malorum prostratos & afflictos passim erigere & recreare solent allata promissione non *speciatim* Messiaë resurrectionis, sed promissione adventus ejus cum connexis. Ita ut majori ἐμφάσει divina fides dicatur liberari missione Filii in mundum, quam sola filii exsuscitatione ad vitam: Quamvis in ea pars promissi divini sit impleta. Adde non tantum τὸ ἀνίστημι accipi activo sensu de *excitatione* alicujus; sed & ejus relatum & oppositum ἀνίσταμαι passivo sensu notare eum, qui *exoritur*, & existit subito, cum antea non extitisset. Vide Act. VII.

18. & XX, 30. Respondet autem passivum hujus verbi $\tau\omega$ $\omicron\iota\kappa$ Hebr. Estque de hoc genere vocum Græcarum, quæ significationem adferunt non vi Originis Græcæ, sed ex analogia & convenientia cum parallela voce Hebraica. Ut taceam Tuam Interpretationem magis convenire Apostoli proposito, quod non erat, speciatim demonstrare & probare Christi resurrectionem & mortem, sed Jesum Nazarenum esse verum Dei Filium, verumque Messiam, quem contra omne jus & fas Judæi cruci suffixissent: Ut recte ponis. Et mihi quidem sic videtur hanc interpretationem magis esse liberam & remotam ab iteratione supervacanea quam vulgarem, quæ & Cl. Riveti est, sententiam.

§. IV.

Verum nondum hisce rationibus, quas in epistola mea allegaveram, persuaderi potuit Vir Eruditissimus. Hunc enim in modum longo post tempore, respondit: XVI. Cal. Quintil. MDCCI.

Quod ad locum Act. XIII. ignosce mihi, si rationibus tuis manus dare non queam. Disputare non debemus de significatione vocis *ἀναστῆναι* quæ simpliciter considerata & tuam & meam recipit interpretationem. Et meam quidem ita, ut *ἀναστῆναι* proprie notet resurrectionem e mortuis, sicuti in hoc ipso loco Hebr. XI, 35. Et in simili plane dissertatione Petri Act. II, 24 & I. 32. Quod ais, istuc agi de resurrectione e mortuis & ideo tantum de ea hanc vo-

cem absolute adhiberi; memento de ea quoque hic agi vel maxime. Nam certe hic quoque memorata fuit proxime ante controversa verba versus 32. quum discrete Jesus dicatur *excitatus e mortuis* & a multis postea visus. v. 30. 31. Sed ut dixi, sicut tibi largior, ἀναστῆσθαι & ἐγείρειν dici etiam de eo, qui primum oritur, sic omnino mihi concedere debes utrumque etiam dici absolute de suscitatione e mortuis. Quod putas hac voce respici verbum *ד'קח* id conjectura est, quum usitatissima sit vox Græca & utroque sensu sine ullo Hebraismi respectu passim adhibita. Sed præcipuam credo vobis esse rationem, quod verba psalmi, *Filius meus es, hodie te generavi*, de incarnatione & missione in mundum accipitis; nec male. Sed tamen per *generationem* & *hodie* quidem hic intelligi credo omnem *declarationem* & *manifestationem* Messiae, qui maxime declaratus est per resurrectionem e mortuis sua ipsius vi factam. Unde & Petrus Act. II. ferme unice ex eo probat Jesum Nazarenum, quem Judæi cruci suffixerint, esse Messiam, quod resurrexerit e mortuis, sicut id prædixerit David, & ascenderit dein in coelos ac miserit Spiritum S. Præcipua mihi ratio meæ interpretationis est nexus argumentandi. Proœmium præcedit usque ad v. 22. Propositio sequitur v. 23. Deum misisse & dedisse *Israëli Servatorem* & *Messiam Jesum*. Id probat primum testimonio Johannis Baptistæ v. 24. & 25. progreditur

tur dein ad mortem ejus & resurrectionem a v. 27. usque ad 37. Narrant primo, quomodo a Judæis damnatus licet innocens & supplicio traditus fuerat, ac dein sepultus. v. 27-29. Sed Deus eum excitaverit e mortuis, idque multorum testimonio comprobari queat, qui eum viderint vs. 30. 31. Hanc vero resurrectionem dein ostendit factam secundum *promissionem patribus datam*, atque adeo istam *promissionem esse nunc impletam* v. 32. Adfert autem v. 33. primo locum psalmi de *generatione*, quam ita interpretatur, ut Jesus resurrectione sua maxime declaratus sit Messias & σωτηρ per quem *remissio peccatorum nobis obveniat*. vs. 38. Sed quia simplex resurrectio non sufficiebat ad id probandum, quum & alii legantur resurrexisse e mortuis & revixisse, ideo vs. 34. 35. 36. 37. eum ita excitatum e mortuis, *ut non amplius visurus sit mortem*, sicut alii dein iterum tamen mortui sunt & viderunt mortem. Magna certa mihi videtur in eo ἔμφασις, quod ait v. 34. ὅτι δὲ ἀνέστησεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, μηκέτι μέλλοντα ὑποσέφειν εἰς διαφθορὰν, quæ emphatice ad rem magis declarandam subjicitur resurrectioni in superioribus simpliciter memoratæ. Omnia hæc recte cohærent, nec quidquam est hæsitationis aut difficultatis, nisi quis adhaereat ad *generationem filii*, quæ tamen quum de manifestatione ejus & declaratione factis in tempore ostensa, sit accipienda, ea autem declaratio nulla re clarius apparuisse hominibus

bus memoretur, quam illa resurrectione, quæ tantopere hic & Act. II. inculcatur & probatur ex prophetis, nihil puto difficultatis in ea expositione residere. In vestra interpretatione e contrario nihil inest argumenti. Nam quod Jesus venit in mundum, natus ex muliere, an ex eo liquebat esse Messiam? esse illum Dei Filium? Quum de natalibus ejus in hac oratione nihil referatur, nedum quidquam, quod idoneum sit ad tale quid probandum. Est ergo in vestra interpretatione inanis repetitio, quæ superius facta, demonstranda jam erat, nec quidquam accipit demonstrationis ex Psalmo II. nisi prius aliis argumentis sit probatum esse Messiam, esse eum, de quo accipi possit iste locus. Accedit denique quod proxime ante & post controversum hunc locum & versum 32. agitur tuo consensu, certissime de resurrectione, ut adeo versus illi interjectus, quo transit ad probandum illud ex prophetis, quod proxime dixerat de resurrectione, in qua vis præcipua ponitur ad totam rem conficiendam & demonstrandam, de nulla alia re videatur accipiendus. Hæ meæ sunt rationes, quibus motus non possum aliter ista interpretari quam nuper feci. Nec cuiquam, opinor, nec Tibi, nec Tillio, aliud in mentem veniret, absque illo loco Psalmi esset *de Generatione*. Nam cæteroquin nexus rerum & progressus argumentandi videntur omnino istam, quam dixi interpretationem,

ex-

exigere. Sed hæc ejusmodi sunt , ut quisque nostrum suo sensu possit delectari & uti. Quapropter sicut ego lubens tibi relinquo tuam interpretationem , sic & mihi facile meam concedes.

§. V.

Respondi VI. Eid. Septemb. MDCCI.

Quod ad locum Act. XIII. libenter video Te mihi largiri vocem ἀναστήσεως, tam meo quam tuo sensu sumi posse. Heic vero meo sensu sumi debere , variis adstruxi argumentis , quæ nunc repetere nihil adtinet. Quod hac voce Divinus scriptor digitum intendat ad verbum ἀπὸ, non conjectura est, sed certissima veritas ; præsertim cum relatione ad loca, V. T. in superiore Epistola mea allegata.

Ad argumentum meum V. (inde sumtum, quod promissio patribus facta primo & præcipue impleta non sit in resurrectione Christi, sed in ἐνστασινώσει & legatione ad munera sua obeunda (quo etiam resurrectio pertinet) nihil equidem respondisti ; quod mihi tamen validissimum videbatur.

Præcipuam mihi rationem esse credis, quod verba psalmi : *Filius meus es tu, hodie genui Te, de incarnatione accipio.* Verum in eo male conjicis. Censeo enim , per ista verba æternam intendi Messiaë filiationem, sed demonstratam in tempore. Quæ demonstratio mihi perinde esset sive statuatur in ἐνστασινώσει, sive in suscitatione ex mortuis. Quod vero prius hic loci

loci intendi putem , faciunt argumenta , in superioribus literis allata. Non equidem inficias eo , Christum quoque *declaratum* fuisse *filium Dei* per *resurrectionem* e mortuis : Sed nego ipsum per *resurrectionem* *magis* *declaratum* fuisse *filium Dei* , quam per *nativitatem* ex *Virgine* & *legationem* ad munera sua. Cum enim mihi opponis : *Quod Jesus venit in mundum , natus ex muliere ; an ex eo liquebat esse Messiam ? Esse illum Dei filium ?* Videris ludere in phrasi *ex muliere*. Etenim mulier ista fuit *Virgo* , ex qua per miraculosam plane conceptionem ex Spiritu S. natus est *Messias* , & quidem ad ob-eundum munus mediatorium , quod nullus nisi verus Deus , Deique Filius , implere potuit nec secundum prophetias , debuit. Quinimo ex eo multo evidentius declarabatur esse *Filius Dei* , quam per *resurrectionem* e mortuis. Multi enim *ante ipsum ex mortuis* revixerant. Nullus vero e *virgine* natus fuerat : nullus unquam in mundum missus ad obeundum munus mediatorium. Adeoque per *ἐνοσίχθων* multo clarius , & sine ullo contradictionis periculo , apparebat ipsum esse *Filium Dei* & verum *Messiam*. Fateor quidem ex *resurrectione sua vi facta* , idem demonstratum fuisse. Verum 1. id heic loci non intendit divinus scriptor. Vox enim *ἀναστήσας* non notat quod se ipsum excitaverit , sed quod a Deo Patre *excitatus sit*. 2. Saltem primo & præcipue demonstratus est *Filius Dei* per

per incarnationem & missionem ad munus mediatorium. Etenim non cuius statim apparebat insignis illa differentia inter resurrectionem Jesu & aliorum, qui e mortuis revixerant. Sed nullus unquam extiterat, qui vel ulla specie, quod ad miraculosam ex virgine nativitatem per Spir. S. & legationem ad munus mediatorium cum Christo paria facere poterat. Plura adderem, nisi patientiam tuam fatigare vererem. Id saltem (V. C.) intelligis, me non absque ratione a Cl. Riveto, in hujus loci expositione, divortium fecisse. Verum (ut tuis verbis concludam,) hæc ejusmodi sunt, ut quisque nostrum suo sensu possit delectari & uti. Quapropter, sicut ego lubens Tibi relinquo tuam interpretationem, sic & mihi meam concedes. Nuper admodum deprehendi mecum facere Cl. Gatakerum. Quem vide sis *Advers. Misc. l. I, s.*

§. VI.

Ad hæc literas denuo respondit Vir Clarissimus a. d. XVIII. Sept. MDCCI.

De loco Actor. XIII. non facile, ut video, redigemur in consensum, neque id necesse est. Videmur etiam aberrare ab uno eodemque statu quæstionis constituendo in diversos. Etenim ego nihil aliud puto tota hac Apostoli disputatione agi, quam ut ostendatur Jesum Nazarenum esse illum Messiam Patribus promissum, & jam a Deo præstitum generi humano, non autem, ut Tu videris statuere,
Chri-

Christum seu *Messiam esse ipsum Dei Filium*, quare re nulla prorsus in hisce Pauli fit mentio, si excludamus verba Psalmi. Ea vero verba a vobis hic loci accipi de incarnatione, sane equidem existimavi. In quo si *male conjeci*, ut ais, tum vero velim mihi quendam rationi congruentem ostendas nexum in hac propositione: Deus ab æterno Messiam sibi generavit Filium, ergo *excitando Jesum Nazarenum* certo tempore implevit nobis, promissa, majoribus nostris facta. Ego quia nullum in ea, quæ vestra nunc esse debet propositio, seu applicatio verborum Psalmi, videbam nexum, credebam sane vos aliter argumentari, & applicare verba Psalmi ad superiora verba Pauli, tali modo: „Deus dixit olim de certo tempore futuro, quod ipsi est *hodie*, se missurum filium suum in carnem, & daturum nobis Messiam, ergo *excitando* nunc Jesum, quem Messiam esse ego Paulus probavi, implevit promissa Patribus nostris facta. In his videbam nexum satis justum licet a me aliter adhuc institueretur hæc applicatio. Nempe, Deus dixit olim, se certo tempore missurum Filium suum in carnem, & postquam is aliquamdiu latuit inter homines tanquam privatus, declaraturum tunc rebus ipsis & prolaturum in lucem, illum esse expectatum Messiam, ergo *excitando* Jesum e mortuis, qui paulo ante crucifixus fuerat, tanquam merus homo, & ita eum *excitando*, ut non amplius mortem subiret,

iret, implevit, consummavitque, quasi ulti-
 ma manu huic rei imposita, promissiones
 Patribus de Messia factas, quippe quum Je-
 sus fuerit ille Messias, quod unice tota Pauli
 oratione probatum fuit, sed quod, quia vulga-
 res Judæi Jesum post crucifixionem & mor-
 tem pro mero homine habebant, novo & ma-
 ximo debuit denuo demonstrari, ac demon-
 stratum est, argumento, scil. mirabili illa re-
 surrectione, post quam abiit in cœlum, nec
 corruptionem sensit. Dicis fuisse alia potiora
 argumenta, ad probandum, Jesum fuisse Mes-
 siam. Veluti mirabilem ejus nativitatem.
 Atqui, Amice, non agimus hic Doctorem
 Theologiæ, qui hanc materiam exhaurit, &
 validissima quæque argumenta in eam rem
 conquirat; sed agimus hic interpretem ver-
 borum Pauli, in quibus nulla omnino vel mi-
 nima mentio de extraordinaria Jesu nativita-
 te. Satis heic habuit Paulus, affirmare, Je-
 sum hunc ex semine Davidis ortum esse illum
 Messiam, ab Deo nunc missum & productum:
 id vero probat testimonio Johannis, & dein,
 quum crucifixus esset a Judæis, licet id quoque
 prædictum fuerit a Prophetis, quia tamen ea
 res idonea erat ad expellendam ex animis ple-
 torumque opinionem, quam de Jesu tanquam
 Messia conceperant, probat id vel maxime
 ex resurrectione; quam dein probat etiam
 a Deo prædictam atque adeo Patribus promif-
 sam. Præterea in omnibus Orationibus Apo-

lorum in hisce *Actis* urgetur semper potissimum resurrectio Jesu crucifixi. Vide II, 24. 31. 32. III, 15. X, 40. XVII, 3. at nusquam illa nativitas; Non quod illa non recte adhiberi potuerit, sed quia 1. Judæis erat maximam partem ignota & non credita, quippe qui habebant Jesum pro *Filio Fabri*, Josephi, & Mariæ ejus Uxor-
 ris, h. e. ut ex eorum sententia & opinione breviter nuper scripsi, *Mulieris*, quam ego ceteroqui & omnes Christiani scimus & credimus fuisse virginem, non autem illi Judæi, apud quos idcirco, nisi prius hoc eis persuaderetur, frustra inde peteretur argumentum tanquam ex re certa & cognita, quæ illis erat incerta & ignota. 2. quia omnia quæ præcesserant, miracula & documenta de Jesu tanquam Messia, oblitterata erant per ejus mortem & crucifixionem etiam apud ipsos ejus Discipulos, ut velex Luc. XXIV, 21. constat Hæc ergo causa est, quare non tam Nativitas illa, quam Resurrectio, toties ab Apostolis inculcetur & memoretur ad probandum, crucifixum hunc Jesum fuisse tamen verum Messiam. Quod validissimum ais argumentum, cui nihil responderim, promissionem patribus factam non esse præcipue impletam in resurrectione Christi, sed potissimum in *ἐνορανώσει*, in eo aliquid inesse videtur quidem, sed non adeo multum: siquidem etiam promissionem Patribus factam de *resurrectione* Messia liquet utique ex hoc ipso loco, ubi resurrectio illa probatur

batur ex scriptis Prophetis h. e. promissionibus. Vide & omnino II, 24. 25. & 30. 31. Deinde plura quidem continuit promissio Patribus facta de Messia, & variis rebus impleta fuit, sed maxime tamen quasi impleta plane & consummata est ultima veluti manu accepta, per resurrectionem e mortuis & ascensionem in caelum, qua re post crucifixionem facta maxime declaratum est Judæis Messiam fuisse quem crucifixerant, & quæ res ideo præ omnibus aliis argumentis præcipue inculcatur ab Apostolis in hisce suis Orationibus ad Judæos. Dicit porro: *Quod hac voce Divinus Scrip-
tor digitum intendat ad verbum* ⲙⲕⲓⲏ, *non conjecturam esse, sed certissimam veritatem.* Id vero mirari satis non possum, quum certissime vel sit Conjectura, vel Petitio Principii, seu Affe-
veratio ejus, quod solum in quaestione est. Perinde enim est, sive dicas, *certissima veritas est, respici-
hic loci Hebr. ⲙⲕⲓⲏ excitare Prophetam: sive, ἀναστῆ-
σαι τὸν Ἰησοῦν hic loci esse interpretandum, ut tu cen-
ses: id quod in quaestione est & non affe-
verationibus sed argumentis probari potest.* Ar-
gumentum autem nullum est hic loci in voce
ⲙⲕⲓⲏ: sed tantum peti id debet ex nexu argu-
mentationis Paulinæ. Nam quæso Te, se-
deamus iterum ad calculos Logices. Largior
tibi, certissimam esse veritatem, ⲙⲕⲓⲏ בניא ha-
bere eandem significationem, quam variis in
locis habet ἀναστῆσαι τὸν Ἰησοῦν. Sed & Tu mi-
hi largiri vicissim debebas, ἀναστῆσαι τὸν Ἰησοῦν
Mmm 2 etiam

etiam variis in locis aliud quid notare, quam
 Hebr. illud דִּקְרָה , & proprie *excitationem e*
mortuis. Si dubitas, vide Actor. II. 24. & 32. Si
 ergo hoc æque est *certissimæ veritatis*, ac illud,
 quid tandem in eo est argumenti ad explican-
 dum hunc locum. „ דִּקְרָה in Deuteron. &c.
 „accipitur eo sensu, quo a te exponitur ἀναστῆσαι
 „ σῶσαι Actor. XIII, 32. Ergo necessariæ & cer-
 „tissimæ est veritatis τὸ ἀναστῆσαι illic ita, non
 „autem de resurrectione, esse interpretan-
 dum. Ego enim id nego, quia certissimæ
 est veritatis ἀναστῆσαι etiam aliter accipi posse
 ac variis in locis debere. Non magis ergo ex
 verbo דִּקְרָה demonstrare potes hujus loci, vel
 verbi ἀναστῆσαι hoc in loco, sensum, quam in
 loco Actor. II, 24. & 32. ubi idem verbum aliud
 quid notat. Hæc præter meum consilium,
 ipsa scriptione me abripiente, tam prolixè ex-
 posui contra tuum illud, *Debere τὸ ἀναστῆσαι hic*
loci aliter quam de Excitatione e mortuis ac-
cipi, quod non video. Non contentus enim
es τῷ Possè. Ego vero, quum non negem
utramque significationem verbo ἀναστῆσαι com-
petere, hic loci præfero eam de Resurrectio-
ne, propterea quod in proximis ante & post
hosce duos versus 32. & 33. disertissime agi-
tur de Resurrectione; Deinde quod non opus
erat inter Judæos probare ex V. T. promissum
fuisse simpliciter vel generatim Messiam,
quum nemo esset inter eos qui id vel ignora-
ret vel in dubium vocaret, sed opus erat &

necesse, probare Judæis, de Messia id quoque
 prædictum & promissum esse, fore quidem
 ut crucifigeretur & moreretur, sed ut et
 iam excitaretur e mortuis, eaque re post cru-
 cifixionem declarandum illum vel maxime
 Messiam. Itaque Apostolus postquam ena-
 rasset illum innocentem fuisse damnatum,
 crucifixum, sed dein suscitatum e mortuis, &
 visum a discipulis, subjicit nunc se ergo præ-
 dicare promissionem Patribus factam, plac
 jam implevisse Deum, dum Jesum, qui erat Mes-
 sias, excitaverit e mortuis, atque ita tunc e-
 um declaraverit omnibus illum fuisse Mes-
 siam, quod incertum erat adhuc certe post
 crucifixionem, etiam discipulis ejus: Atque
 adeo Deum, qui ab æterno generaverat sibi Fili-
 um, cum certo tempore misisse quidem in
 mundum, sed maxime eum declaravisse homi-
 nibus per istam resurrectionem, non tamen vul-
 garem, nam excitati fuerant & alii, sed æternam,
 postquam deinceps mortem non viderit, sed
 in cœlum ascenderit. Sed satis de hoc loco,
 in quo uterque nostrum sua fruatur sententia
 & interpretatione, quum in re ipsa non mul-
 tum sit discriminis.

FRID. AD. LAMPE,

Ad Virorum Clarissimorum de
loco Act. XIII. 32. disce-
ptationem

EPICRISIS.

Rogatus a Venerando D'OUTREI-
NIO, ut meam quoque sententiam
^{ἀνευ προσωποληψίας} proferam, ratio-
nes, quibus Perizoniana hypothesis
impugnatur, stringentes esse agnosco. Ana-
lysis *Tiliana* mihi satis plana videtur. Secu-
tus est eandem Cel. ROELLIUS Comment.
in Ep. ad Ephesios p. 484. sq. Collatio τῆς ὀρθῆς,
quam mera conjectura niti *Perizonius* existi-
mat, verissima est, & fundamentum habet
non tantum in stylo hellenistico Apostoli, sed
etiam in ipso orationis filo. Ex data enim
analisi constat liquidissime, quod historiam
Jesu Christi vs. 23-30. in compendio exhibi-
tam ex prophetis illustraturus, atque confir-
maturus uti vs. 31. declarat, commate se-
quenti 32. incipiat inde, unde vs. 23. histori-
am coeperat. Quare τὸ ἤγειρε v. 23. & ἀναστήσας
vs. 32. plane sunt synonyma. Jam vero utro-
bique

bique ad ἐπαγγελίαν seu *promissionem* provocat, adeoque talem *suscitationem* se innuere declarat, qualis a prophetis prædicta erat, apud quos τὸ ἐγείρειν & ἀναστῆσαι, secundum versionem Hellenisticā, de resurrectione Christi proprie dicta præcise non usurpatur, & omnino verbo ⲓⲕⲓⲏ respondet. Accedit, quod vs. 23. aperte declaretur, ad quas *promissiones* Paulus respiciat, nempe ad illas quæ *Davidi* factæ sunt. In quibus igitur ego quidem subsistere malo, quam illam Deut. XVIII. 15. 18. simul incensum vocare, præsertim cum prophetiæ omnes, ad quas Apostolus deinceps vs. 33-37. provocat, aut Davidicæ sint ex Ps. II. 7. & XVI. 10. desumptæ, aut iis superstruantur, ut Jer. LV. 3. Nisi quis velit cum *Theodoro DAS-SOVIO* τὸ ⲓⲕⲓⲏ in *promissionibus* Davidicis ex citata Mosis prophetia esse desumptum. Confer eum in dissertat. ad Jer. XXIII. 5. 6. Tomo I. Thesauri Theolog. Philos. inserta. Quod tamen non impedit, quo minus statuamus, Apostolum ad *promissiones* Davidi factas proxime respexisse. In quo Petrum secutus est, qui verbum nostrum ad easdem *promissiones* digitum intendens adhibuit Actor. II. 30. Jam vero plus semel in iis verbum ⲓⲕⲓⲏ occurrit, scilicet 2. Sam. VII. 12. Jer. XXIII. 5. XXX. 9. Amos. IX. 11. Quidam etiam addunt 2. Sam. XXIII. 1. In omnibus vero his locis voce ἀναστῆσαι οἱ ὁ utuntur. Quæ cum ita sint, hinc merito infertur, Apostolum talem heic in-

nuere *suscitationem*, qualis Davidi promissa erat. Cumque ex inductione locorum pateat, quod resurrectio Christi ex mortuis illic non præcise indigitetur, sequitur, quod nec Paulus in loco controverso de illa agat.

Sententia igitur Cl. D'OUTREINII apud æquos rerum arbitros palmam *Perizoniana* facile præripiet. Istud tamen illustrationis causa lubet addere, cum idem Vir doctissimus per *suscitationem* hanc duo invicem innexa subintelligat & *missionem* in Domini in carnem, & *legationem* ad obeunda munera, latius etiam aliquanto verbi nostri *δήλωσεν* extendi posse. Quatuor omnino ejus significatus aptissime heic conjugungi queunt. I. De *nativitate* apud probos aucthores Græcos an unquam usurpetur, dubito. Sed apud Hellenistas ita adhiberi patet ex Matth. XXII. 24. quo sensu τὸ *οἶρον* usurpatum etiam est Deut. XXV. 7. & active *οἶρον* Jud. II. 10. Et eodem strictiori sensu de Christo adhibetur Act. III. 26: *ἀναστήσας τὸν παῖδα αὐτοῦ Ἰησοῦν, ἀπέστειλεν αὐτὸν* ubi per *suscitationem*, quæ *missionem* Christi ad munus obeundum antecedit, nonnisi *nativitas* ejus intelligi potest.

II. De *Constitutione* in munus regium occurrit Actor. VII. 18. in munus sacerdotale Hebr. VII. 11. in munus propheticum Siracid. XLVII. 1. XLVIII. 1. Act. III. 22. VII. 37. Eadem vis est vocis *ἐγείρειν*. Cujus in hoc ipso orationis Paullinæ nexu exemplum luculentum occurrit commate 22. *ἤγειρεν αὐτοῖς τὸν Δαβὶδ εἰς βασιλέα*, quæ vox ibi τῷ μεταστήσας oppo-

quando locum 2. Sam. XXIII. 3. ita *μεγαλοφρονος* : Inquit David, Deus Israelis de me locutus est, fortis Israelis, qui dominatur in homines, veritatem judicans, pollicitus est, se constituturum mihi *REGEM*, דהוא משיחא דעתיד דיקום וישלוט ברחלמא, י"ד i. qui esset *Mesias*, *SURRECTURUS* & dominaturus in timore Domini. Hac quoque significatione admessa videmus, quam egregie ad scopum Apostoli citetur locus ex Ps. II. 7. Quamvis enim ipsi quoque *æternam generationem* Filii Dei in eo supponi simus persuasissimi, cum multis tamen Theologis (a) celeberrimis *τὸ bodie* ad certum temporis articulum existimamus referendum, in quo hæc præcellentia *æternæ* filiationis Salvatoris nostri actu erat demonstranda. Quis autem hic sit temporis articulus, nexus Psalmi ostendit, nempe tum cum unctus erat in *Regem Sionis*, cujus rei testimonium dedit per effusionem Spiritus sancti, quæ magis, quam omnes præcedentes gloriæ Christi demonstrationes oculos Israelis perstrinxerat, adeoque ad eos convincendos quam maxime erat idonea. Posita hac tanquam palmaria vocis *ἀνασῆσαι* emphasi, liceat adhuc binas alias notiones sensum ejusdem adhuc uberiores reddentes addere.

III. Fre-

(a) Vide Classis hujus Fascic. IV. p. 657. sq. Ipse Ven. D' OUTREINITIS se ab hac sententia non alienum esse & heic & commentario in Hebræos c. I. p. 87. 88. fatetur, quamvis novissime in exegefi Catechetos Heidelbergensis quæst. 33. receptæ eam posthabeat.

III. Frequentissime de impulsione alicujus ad aliquod opus occurrit, quod magna cum cura atque impetu gerendum, præcipue ad debellandos hostes, & subjiciendas regiones. Vix hoc sensu in N. T. occurrit, nisi Act. V. 36. 37. huc referas. Hellenistis tamen est familiaris. Pertinet enim huc, quando 1. Macc. II. 1. de Mattathia impietati Antiochi Epiphanis se opponente, & c. III. 1. de Juda ejus filio usurpatur, uti observavit Corn. ADAMUS Exercit. Exeget. I. §. 13. Apud profanos eadem notio non est infrequens. HOMERUS Iliad. VII. v. 116.

Τάτω ἢ πρόμον ἄλλον ἀναστήσασιν Ἀχαιοί.

i. Huic autem propugnatores alium excitabunt Achivi.

Sic Odyss. 7. v. 6.

Ἐνθεν ἀναστήσας ἄγε Ναυσίθοος θεοειδής

i. Hinc excitans deduxit Nausithous Deo similis.

Idem Odyss. Σ. v. 333.

Μή τις τοι τάχα ἴσῃ ἀμείνων ἄλλος ἀνάσῃ

i. Ne quis tibi cito Iromelior alius exsurgat.

Ubi BUDÆUS ἀνάσῃ exponit ἀνταγωνίσῃ i. Certaturus existat. Adde ÆLIANUM Var. lib.

XIII. c. II. Εἰς Μακεδονίαν ἐλθῶσα ἡ Φήμη, πρῶτον μὲν Φίλιππον ἐπὶ τὴν Ἀσίαν ἀνέστησεν i. fama in Macedoniam cum pervenisset, primum quidem Philippum adversus Asiam excitavit. Hinc & in

ETYMOLOGICO SYLBURGII: Ἀνάσσει, ἐπὶ παρεκλεύσεως dici perhibetur. Frequentissima autem hæc est notio τῆς οἰκῆς & οἰκῆς, ut in-

inspicienti concordantias primo ictu patebit. Hoc pacto simul poterit designari *excitatio* Christi ad victorias in regno, quod ei datum est, de gentibus reportandas, easque sceptro suo subjiciendas, uti in loco Psalmi II. a Paulo in hanc rem allegato vs. 8. 9. statim subjungitur. Quod eo est ἐμφακώτερον, quia *columna nubis* *οὐρανὸς* surgere dicebatur, quando elevabatur ex sede sua supra tabernaculum, ut Israelitas antecederet & hostes eorum profigeret Num. X. 35. quo frequenter, præcipue in Psalmis respicitur. Vide Ps. III. 8. VII. 7. X. 12. XII. 6. XVII. 13. XLIV. 27. LXVIII. 1. &c. Expeditiones autem Domini in nube egregium victoriarum Messiae typum fuisse, certum est. Aut si mavis, in animum heic revoca *Redemptores* Israelis ea tempestate, qua dominium penes Judices erat. Hi enim voce οὐρανὸς singularem in modum a Domino *suscitati* memorantur, ut jugo servitutis populares liberarent, & vim tyrannorum frangerent. Præcipue notanda est ad finitas dictionis commate nostro 23. adhibitæ cum Jud. III. 9. Καὶ ἤγειρε κύριος σωτήρα τῷ Ἰσραὴλ. Iterumque vs. 15. Καὶ ἤγειρε ἀνδρῶσι κύριος σωτήρα. En integram phrasin Paullinam: Καὶ ἐπαγγελίας ἤγειρε τῷ Ἰσραὴλ σωτήρα Ἰησοῦν. Quidni ergo censeremus, Paulum simul voluisse indicare, quod Dominus id, quod Redemptores typici præfiguraverant, tum per jugi Mosaici abolitionem, tum per inchoatam gentium in regnum Christi introdu-
 ctio-

tionem, implere jam occeperit? Hoc sane & Bileamus jam per *surrectionem* sceptri ex Israele (ubi $\text{וְיָשִׁיבֵנוּ$ pro more reddunt per ἀναστήσει-ται) ad percutiendos angulos Moabi & colligendos filios Sethi expressit.

IV. Denique constat וְיָשִׁיבֵנוּ etiam idem esse, quod *firmare, stabilire*: quod imitantur Hellenistæ, quando רָמַע per ἀνίστημι reddunt. Hunc significatum heic non neglexerim, cum promissiones Davidi factæ præcipue stabilitatem throni Messiae præ umbratili Davidis throno urgeant. Addo locum Rom. XV. 12. ubi oraculum Jef. XI. 10. a Paulo ad Christum applicatur ex versione LXX. Interpretum: $\text{Ἐσται ἡ ῥίζα τῆς Ιεσσαί, καὶ ὁ ἀνίσταμενος ἀρχὴν ἐθνῶν}$: quod pro רָמַע positum *stabilitatem* regni Christi, ingratis Judæorum, aliorumque hostium quorumvis, abunde docet.

Ne vero quis putet tam augustæ latissimeque se extendenti significationi obesse adductam a Cl. D' OUTREINIO Tillianam analysin, istud quoque præterire nequimus, quamvis quoad arcem causæ eam admittamus, in specialiori tamen deductione nos ab ea paulisper divortium facere. Ita enim concionem Apostoli ordinamus, ut post aptam introductionem vs. 16-22. sequatur testimonium de Jesu vs. 23--37. quod ad conscientias Judæorum propius applicatur vs. 38--41. Secunda pars concionis testimonium ipsum de Jesu Christo proponens nostram causam solum spectat.

Illud

Illud vero bipartitum est, *historicum & propheticum.*

I. Primo igitur convincere Apostolus Judæos ex historia vult, Jesum verum Messiam, seu Salvatorem esse. Ubi

A. Thesis Paulli proponitur vs. 23.

B. Ex variis notabilibus circumstantiis historiae Christi corroboratur: scilicet

1. Ex ministerio Johannis 24. 25.

2. Ex præconio ipsius Christi 26. Ubi tacitæ objectionis de incredulitate Antistitum Israelis refutatio additur 27.

3. Ex injusta innocentis Christi nece 28.

4. Ex sepultura ejus 29.

5. Ex resurrectione. 30.

6. Ex apparitionibus post eam, quæ adscensum in cœlum simul involvunt. 31.

Unde colligimus *suscitationem* Domini vs. 23. memoratam ad omnes hos articulos referendam esse, & ita quidem ut *suscitatio* illa id ipsum sit, quod per omnes hos articulos vere factum esse Apostolus demonstrare volebat.

II. Superpondii vero loco, & quia ad Judæos loquebatur, testimonium hoc cum prædictione prophetiarum convenire docet. Nota hic

A. Transitionem elegantissimam 32.

B. Apodeixin proprieticam ipsam, quæ circa duo momenta versatur. Nam

1. The-

1. Thesis generalis Paullina vs. 23. proposita vs. 33. probatur, quo posito facile liquescit, quam latum verba hujus commatis sensum fundant. 33.

2. Ex argumentis, quibus thesin suam probaverat, unum, a resurrectione Christi petatum, quia ei quam maxime a Judæis contradicebatur, sigillatim seligit, & ex prophetis probat. 34. sq.

Ex hac analysi, quam & solidissimus Lutheranorum Theologus GERHARDUS Loc. de persona & officio Christi §. 54. eumque secutus WALTHERUS Officin. Bibl. ad h. l. agnovere, constare quoque puto, scopum Paulli non tam fuisse, ut Jesum probet fuisse verum Deum & naturalem ejus filium, quam, ut eum verum Redemptorem & Messiam secundum promissiones expectatum evincat. Hoc præcise erat, quod omnibus ad Judæos orationibus evincebat. Hoc comprehendebat evidenter thesis priori demonstrationis parti vs. 23. præfixa: *Deus suscitavit Israeli Servatorem Jesum.* Hoc & in transitione ad alteram demonstrationis partem vs. 32. innuitur: *Evangelizamus vobis promissionem patribus factam,* quæ promissio non tam præcise ad Deitatem & Filiationem æternam, quam ad ejus patefactionem per munus mediatorium consummatum, nisi omnia me fallunt, est referenda, Ut taceam applicationem doctrinæ propositæ ad conscientiam auditorum vs. 38. id supponere,

ere. In qua re si paullisper a sententia Cl.
D' OUTREINII dissentire videar, ejus veniam
a probata Viri humanitate atque modestia,
etiam atque etiam rogo.



VI.

DOCUMENTA QUÆ- DAM

recentissimam Ecclesiæ Reforma-
tæ in Archipalatinatu

afflictionem concernentia.

CLerum Romanum pro inveterato in ve-
ritatem odio novas CATECHESI HEL-
DELBERGENSI, quo tanquam symbo-
lico libro Ecclesiæ Reformatæ tum exteræ
tum præcipue Germanicæ ultra sesquiseculum
gaudent & inter se colligantur, perque ejus la-
tus sanctissimæ nostræ fidei novas struere
machinas fama jam percerebuit. Quid in hac
caussa paci religiosæ & constitutionibus Imperii
contrarium gestum sit ac geratur porro suo
tempore Lectori exhibebimus. Nunc tan-
tum juvat conservare quædam documenta,
ex quibus summa atque cardo rei conspici pos-
sunt, ut genuina Protestantis Ecclesiæ mem-
bra

bra extra teli jactum hæctenus sita ad preces pro fratribus suis & Christi membris, eo ardentius effundendas, supplicasque pro virili ferendas, incitentur. Sistimus igitur heic

- I. Mandatum Serenissimi Electoris Palatini de Catechesi Heidelbergensi extradenda & supprimenda.
- II. Literas supplices a Senatu Ecclesiastico Archipalatino conscriptas & Serenissimo Electori oblatas.
- III. Literas supplices a Synodo Inspectorum Ecclesiæ in Palatinatu Reformatæ post præcedentium repulsam denuo exhibitas.

Nos supplices interea cum cordibus manus ad supremum & immortalem Ecclesiæ Regem dirigimus, quæ potissima gregis Domini in mundo semper afflicti atque pressi arma sunt, humillime precantes ut ille nolit cum populo suo secundum peccata ejus agere, ad novas pro sanctissima religione passiones in certamen productos fortitudine, constantia, sapientia, pioque zelo impleat, & nubeculam hanc mox iterum præterire jubeat. Cujus quidem rei spes aliqua adfulget, ex quo post literas intercessorias a Potentissimo Borussia Rege ad Serenissimum Electorem datas rigorem exactionis aliquantum deferbuisse nunciatur.

L

DEmnach Ihre Churfürstliche Durchleuchtung vermög gnädigsten Befehls vom 24. Aprilis, nächsthin gnädigst verordnet haben, und wollen; das die in dem so genandten Reformirten unter Höchstged. Sr. Churfürstl. Durchl. höchsten Nahmen, und auf dem ersten Blat gedruckten Churfürstl. Wapen, mit denen ohn erlaubten Expressionen: *aus Churfürstlicher Verordnung*, Item mit *Churfürstlicher Freyheit*, gantz vermessentlich und straffbahr-öffentlich dahier verkauffenden, und in denen Reformirten Kirchen, ärgerlich gebrauchend - und tradirenden, Catechismo enthaltene achtzigste Frage, und andere Anzüglichkeiten, zumahlen solche nicht allein gegen dero höchste Persohn, sondern auch gegen die ausdrückliche recessus imperii, und gegen die annoch ohnlängst allergnädigst emanirte Kayserl. Mandata lauffen, in dero gesambten Churfürstl. Landen, abgestellt werden soll, und daher weiter gnädigst befohlen, dem Reformirten Kirchen-Rath und denen gesambten Beambten, gestalt hierunter das nöthige, inner denen nächsten dreyen Wochen, ohnfehlbar gehorsambst zu besorgen ernsthaft aufzugeben, und alle dergleichen Exemplaria gehorsambst einzuziehen, nicht weniger das künfftighin keine Exemplaria, wor-

in-

innen obgemeldte achtzigste Frage, und andere unleidentliche Anzäpflichkeiten enthalten, in hiesige dero Landen gebracht werden, mit Nachdruck zu verfügen, und wie ein so anders geschehen, unterthänigst zu berichten, als hat der Reformirte Kirchenrath diesen Churfürstl. gnädigen Befehl in allen dessen buchstäblichen Inhalt nach gehorsamst nachzukommen.

Heidelberg den 2. May 1719.

Chur-Pfältzl. Regierung

Hillesheim von Morafs.

II.

Durleuchtigster ꝛc.

Eurer Churfürstl. Durchleuchtigk. geben wir hiemit unterthänigst zu vernehmen, was massen wir aus dem in Copia anliegenden dero Regierungs-Decret vom 2ten hujus höchstschmerzhaft zu ersehen gehabt, wie das Eure Churfürstl. Durchl. vermöge dero gnädigsten Befehls vom 24. Aprilis nächsthin gnädigst verordnet haben und wollen, das die in den Reformirten unter Eurer Churfürstl. Durchl. höchsten Nahmen, und auff dem ersten Blat gedruckte Churfürstl. Wapen, mit denen ohnerlaubten Expressionen:

aus Churfürstl. Verordnung, Item mit Churfürstl. Freyheit, gantz vermessenlich und straffbahr öffentlich dahier verkauffenden, und in denen Reformirten Kirchen ärgerlich gebrauchend und tradirenden Catechismo enthaltene solche Frage, und andere Anzüglichkeiten, zumahlen solche nicht allein gegen eure Churfürstl. Durchl. höchste eigene Person, sondern auch gegen die ausdrückliche Recessus imperii, und gegen die annoch ohnlängst allergnädigst emanirte Käyserl. Mandata lauffen, in dero gesambten Churfürstl. Landen abgestellet werden solle, und daher weiter gnädigst befehlen den Reformirten Kircken-Rath, und denen gesambten, Beamten hierunter das nöthige, inner denen nechsten 3. Wochen, ohnfehlbar gehorsamst zu besorgen, ernsthaftt aufzugeben, und alle dergleichen Exemplaria einzuziehen; nicht weniger das künfftighin keine Exemplaria, worin obgemeldte solche Frage, und andere ohnleydentliche Anzäpflichkeiten enthalten, in hiesigen dero Landen gebracht werden, mit Nachdruck zu verfügen. Gleichwie nun diese Eurer Churfürstl. Durchl. ohnvermuhte scharffe gnädigste Verordnung, uns um damehr afficiret, als darob fast klärlich anscheinet, Eure Churfürstl. Durchl. möchten aus dem Supposito, Kirchen-Rath habe die Wieder-auflegung dieses Reformirten Catechismi mit Vordruckung des Chur-Pfältzl.

Wapens; samt denen Worten aus Churfürstlicher Freyheit Item mit Churpfälz. Verordnung veranlasset, etwa einige Ungnade wegen gebrauchten dero höchsten Namens, und des Chur-Pfälz. Wapens, auff uns dero unterthänigst treugehorfamste Knechte geleet haben. So nehmen wir mit Eurer Churfürstl. Durchl. Erlaubniß, die unterthänigste Freyheit, davon umständlichere und warhaffte Beschaffenheit der Sache dahin zu erstatten, wie das dieser Reformirte Catechismus, eingezogenen zuverlässigen Bericht nach bereits Anno 1699. und zwar ohne das damahlen, weder das Kirchen-Räthliche Corpus, so sich selbiger Zeit nechst andern Dicafteriis zu Weinheim auffgehalten, noch jemand aus demselben in particulari davon einige Wissenschaft gehabt, mithin auch lang vor unserer sämtlicher gegenwärtiger Kirchen-Räthe ankunfft, oder Bestellung in die KirchenRaths Dienste, und zwar von dem allhiesigen Catholif. Buchdrucker, als welcher, wie er selbst vorgegeben ein Churfürstl. gnädigstes Privilegium gehabt haben solle, die Reformirte Schul-Bücher zu drucken und zu verlegen, mit dem auff dem Titul-Blat befind ich, und An. 1563. vorgelezten Churfürstl. Wapen und übrigen Formalien vor sich und zu seinen Nutzen, und ohne sich bey dem Kirchen-Rath zu melden; auf das neue gedruckt und verlegt, michin auch öffent-

lich verkaufft worden, gestalten dann der
 ehmalige Catolische Buchdruckerey - Ver-
 walter Tusch, bey seinem vor einigen Jah-
 ren beschehenen Abzug von hier auff Raftatt,
 wo er gegenwärtig w hnet, wie wir anjetzo
 auff Nachfragen erst vernehmen; denen all-
 hiesigen Buchbindern, noch einige 100. Exem-
 plarien davon käufflich überlassen, und auff
 die vorhin gedruckte Exemplaria, ein neu
 Titul-blatt vorgefetzt, und dabey ihr der Buch-
 binder Namen; als bey welchen sie zu fin-
 den seyn, von welchen allen aber Kirchen-
 Rath nicht die geringste Notice gehabt, bey-
 gefügt, wozu dann noch kommt, dass
 eben dieser Reformirte Catechismus, auch
 sonst an verschiedenen andern Orten, als
 zu Franckfurt, Hanau, Marpurg, Nürenberg,
 Bremen &c. mit eben diesen Formalien auff
 dem Titulblatt, ja gar wie bey denen Exem-
